REINESIUS T.
EPISTOLÆ AD
DAUMIUM ET
VORSTIUM

1670-1667

63068/B

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

1-2)REINESIUS, T.

ex libris petri Dumoulinet

incomplete

HH. f. 10

THOMÆ REINESII,
Polyhiſtoris & ſummi Viri,

EPISTOLARUM

AD

JOHANNEM VORSTIUM

SCRIPTARUM
FASCICULUS:
Quo
Varia ad literas pertinentia; itemq;
ingenuum de quibuſdam hujus temporis contro-
verſiis Theologicis judicium ex-
ponitur.
Adjecta ceteriſq; præmiſſa eſt una ad JACOBUM CLAU-
DERUM; ex qua ejuſdem de BEROSO Anniano ſen-
tentiam intelligi licet.

COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,
Ex Officina GeorgI SchultzI, Elect. Typogr. Anno 1667.

Generoſiſſimo atq; Ampliſſimo Domino,

D. LAURENTIO GEORGIO A CROCKOU,

Sereniſſimi ELECTORIS Brandenburgenſis Conſiliario, ejuſdemque ad Sereniſſimum REGEM SUECIÆ Legato,

S. P. D.

JOHANNES VORSTIUS.

QUanti REINESIUM noſtrum faceres, Generoſiſſime atque Ampliſſime Domine, ſatis intellexi aliquot abhinc annis, cum nonnullas ejus ad me ſcriptas epiſtolas tibi legendas dediſſem, tuque eas ad me remitteres. Quippe unà literas ad me mittebas in hæc verba: Quas mihi commodaveras Viri incomparabilis Thomæ Reineſii epiſtolas, ecce cum debita gratiarum actionis uſura nunc remitto: & ut apprimè faveo & applaudo gloriæ tuæ, ita de amicitia tanti Viri animitus gratulor. Omnium bonorum judicii ſecurus eſſe poteſt, qui Reineſio ſe probavit; & cetera. Et quis non idem tecum ſentiat, qui multijugam Viri doctrinam ex ſcriptis ejus perſpexerit, eamque rectè æſtimare poſſit? Quis non infinitam ejus lectionem, feliciſſimamque δύναμιν τὴν κριτικὴν, quam in libris Variarum lectionum, ceteriſque ſcriptis ſuis, declaravit, admiretur? Quid ſi Commentarium ejus in collectas ab ipſo veteres Inſcriptiones, Eponymologicum, ceteroſq; Variarum lectionum libros, publicè aliquando legere licebit? Tum ve-

rò virtutem atque doctrinam ejus adhuc magis admirabuntur ii quibus cor ſapit. Dolendum autem, quod divinus Vir mortalitate interceptus eſt, antequam reliqua ingenii ſui monumenta divulgare ipſe potuerit. Sperare tamen licet, eſſe Viros doctos, quibus ſcriptorum ejus divulgandorum cura commiſſa ſit, quique eam operam libenter & ſumpturi ſint. Et ſcripſit ad me nuper amicus, aliquem beato Viro cognatione junctum Commentarium ejus in Inſcriptiones veteres ſecum in Galliam aſportaſſe, ac Lutetiæ typis exprimendum curaturum. Quod ſanè & veriſimile mihi fit. Quippe in poſtremis ſuis ipſe beatus Vir mihi ſignificavit, Inſcriptionibus ſuis benignius è Gallia ſidus oriri. Ac notum de cetero eſt, Gallos quoque Virum æſtimare cœpiſſe, ipſumque Regem inſigni in eum munificentia uſum eſſe. Dum autem altera illa exeant, prædictas ſummi Viri ad me ſcriptas epiſtolas divulgo, tibique denuo, ſed cum acceſſione quadam, legendas mitto: id quod tibi aliiſque Viris doctis non ingratum fore ſpero. Voluiſſem meas quoque ad Virum ſummum ſcriptas epiſtolas typis ſimul exprimendas dare, quomodo epiſtolis ejus ad clariſſimos Viros, Caſp. Hofmannum, & Chriſtophorum Adamum Rupertum, ipſæ quoque horum ad Reineſium epiſtolæ adjectæ atque interjectæ ſunt; niſi in more mihi fuiſſet ipſa αὐτόγραφα epiſtolarum ad amicos mittere, neque earum ἀπόγραφα mihi ſervare. Et fortaſſe tanti nec eſt noſtras epiſtolas hic ſimul legi: ſufficitque ſi ſummorum modò Virorum Φροντίδες ab interitu vindicentur, nec temere earum quicquam intercidere ſinatur. Vale. Scripſi Coloniæ Brandenburgicæ menſe Julio Anni CIↃ IↃC LXVII.

EPI-

EPISTOLA PRIMA.

MI cariſſime CLAUDERE, expectavi hactenus à bibliopola veſtrate libros, quos conſignaveram, pro quibus Variarum exemplaria XII Lipſiæ poterat auferre ab homine quem indicavi. Fui in utroque fruſtra: unde averſari eum contractum te parario initum colligo. Abſtuliſſet ſaltem meos, & miſiſſet ſuos quos poterat. Dubito enim omnes quos deſideravi, habere in promptu. Nunc quod de ipſo ſperem, non habeo. Ultimis tuis dudum reſpondiſſem; ſed deerat argumentum, quòd eæ me domo abſente traditæ neſcio quò ſcævitate domeſticorum inter ſcruta contruſæ adhuc lateant; faciam cum venerint ad manus. D. Vorſtio pro honorifica compellatione ages meis verbis gratias, obfereſque utendum fruendum, quicquid à mea tenuitate proficiſci poſſe ipſius commodis ſenſerit. Laudo ſtudium ejus & φιλοπυςίαν. Judicium meum de Beroſo Anniano non diſſentit à Doctorum cenſuris: adeat Comm. de Deo Endovell. E. 2. b: relegat etiam cum cura epilogum Diatr. de L. Pun. Quare nec rationibus ejus, quas contra eum proponit, infringendis laborandum mihi eſt; poſſem ejus generis alias quatuor ſuperaddere è Dec. 2. Chronol. obſerv. D. Joh. Behm. obſ. 2. Hoc volo, non omnia, quæ in Beroſo, licet Annius eum interpolaverit, hinc inde leguntur, eſſe conficta, ſed quamplurima conſentire cum profunda antiquitate. Oſtendi hoc ex IDUBELA ejus, loco Comm. quem dixi; ex Arub ejus, filio Chuſi: cui quamplurimi ſcriptores adſentiuntur; nec habuere igitur, cur impugnarent. Cur igitur nos quæremus in ſcirpo nodum? En teſtimonium de Arabo hominum in Syria natorum: *Arabia*, inquiunt Gabr. Sionita & Joh. Heſronita l. de nonnullis Orient. Urbib. c. 1. *dicta ab Araba plaga, non longè à Medina ſita, quam incoluit Iſmaël,*

 Huic

Huic verò plagæ nomen dedit Jaarob filius Cahhtan ſeu Jectan, filii Heber, filii Sale, filii Sem, filii Noë: qui primus, teſte Muhammede Ben Jacub Sirazita, Arabicæ Linguæ theſauri auctore, Arabicæ linguæ inventor extitit, & poſt ipſum Iſmaël. Oſtendi, quod dicebam de Beroſanis, ex ipſius Togo, quem inter Celtiberorum Reges nominat: Nam eundem Togum Martialis & Silius commemorant in rebus Hiſpanorum, quorum ῥήσεις nemo hactenus explicavit. Si Beroſum verum illum & genuinum, qui cum Anniano pariter incedit, & ab eo ſegregandus tamen eſt, conſuluiſſent Interpretes, minimo negotio potuiſſent. Demonſtro hæc ad oculum Comm. de quo noſti ad Claſsis I Inſcript. XXII, quæ eſt de Togoti vel Togotio, Numine quodam Luſitanorum Hiſpanorumque, reperta in Luſitaniâ, viâ, quâ Ebora itur Abilam, juxta Arcem S. Vincentii, hodie Abbatiam; doceoque non eſſe de Toxoti ſeu Diana, ut voluit Joh. Mariana lib. I de rege & inſtit. reg. c. I. intelligendam, verùm de iſto Beroſano Togo. Non vacat ea deſcribere huc, quia quampluſcula ſunt; habes nucleum & ſummam. Non qui recipit aliquod caput libri alicujus, librum totum recipere putandus eſt: Hoc inculca Vorſtio. Judas Apoſtolus libros Henoch non ideo approbavit, ceu ſcripturam authenticam, quia de eis ſumſit teſtimonia: ſicut nec Paulus Epimenidis, Menandri & Arati carmina. Hier. Comm. in Ep. ad Titum. Ego ſi teſtimonio Beroſi quantum ad Arabum uſus ſum, eo ipſo Annianum Beroſum adprobaſſe non arguar. Latent in iſto ſterquilinio pretioſæ gemmæ, quas alibi fruſtra quæremus; eas inveniet, qui judicio valet, & omne genus Antiquitatis emenſus eſt. Imò reſtant adhuc invenienda de Antiquitate teſtantia multa, quæ vera eſſe oſtendent hactenus à nobis, quia non intellecta, habita pro falſis. Idem Beroſus à Sicano Aretiam (hoc ipſum Ebræorum vocabulum eſt, quo terram nuncupant) deificatam fuiſſe ſcribit, & lingua Janigenâ nominatam Horchiam. Si pravam ſcripturam emendaveris, legeriſque leviſsima mutatione literarum adfinium Herthiam, intelliges, unde Tacitus deſumpſerit, quod habet l. de Mor. Germ. de Suevorum nationibus, eas in commune Hertham, id eſt, Terram matrem colere; & ſimul non eſſe nugas, quod hic apud Beroſum legis. Utrumque enim veriſsimum, & Tellurem cultam pro Numine, & Aretiam eſſe Hertham ſeu terram. Ita puto rationem mē vobis ſufficienter reddidiſſe mei de Beroſo judicii, quod non ſatis per-

cc-

ceperat Vorſtius. Sanè æquius multo eſt illorum diſtrictiore, qui planè rejiciunt inter nugatores, in quo veſtigia venerandæ Antiquitatis ego deprehendo; quos tamen nec inter ſe convenire videas. quidam enim ab Annio: quidam ab alio quodam ante Annium conficta eſſe ſuſpicantur. Addiderit aliquid Annius, vel alius ante hunc; quibus ſua adderet & inferciret, habuit, hoc eſt, genuini Beroſi fragmenta. Eram quædam ſupererogaturus ad literas noſtras pertinentia, & emendationum ſpecimina nonnulla; ἀλλ᾽ ὐ δύνασαι βαςάζειν ἄςτι· Optimè valete & ſalvete plur. ab amantisſimo veſtrum

REINESIO D. Altenb.
20. Apr. An. 1646.

EPISTOLA II.

S. P.

MI cariſſime VORSTI, Nunc demum intelligo, poſtquam & tuas ad Clauderum vidi, & hiſce diebus abs Te accepi alteras, periiſſe meas, quibus ad Quæſita tua è ſacris, ad Philologiam pertinentia, depromta reſponderam: quod fero ægerrimè. Fortasſis ſatisfeceram expectationi tuæ; ſed ea ſic eluſa eſt. Tædet ambagũ; quare habeto breviter. Τὸ ששך apud Jeremiam XXV & LI Chaldæus paraphraſtes, Hieronymus, Theodoretus, & poſteriores omnes, excepto Lirano, exponunt de Babylone: rationem, cur Propheta eam ſic appellaret, alii aliam commenti ſunt; quorum ſententias quia accuratè perpendiſti, actum non agam recenſendo: poteras tamen etiam Voſſium adire lib. I de Idol. orig. & progr. c. 21. Σακαῖα, Σακαῖα ἡμέραι, Σακῶν ἑορτὴ feſtum à Babyloniis vetuſtiss. inſtitutum in memoriam victoriæ de Sacis; à Perſis quoque, pòſt Babyloniorum διαδόχοις, receptum fuit; certisſimum. Sac autem vel Seſach Deam fuiſſe Babyloniis cultã πῦ κεῖται; Scaliger eam commentus eſt, eumque ſine diſcusſione ſecuti alii. Non autem idolum vel Deam, ſed urbem regiam fuiſſe, adparet è Jerem. XXV. ubi rex Seſach eodem modo dicitur, quo ibidem Reges Occidentis, Zambri, Elam, Medorum,

rum: nimirum locale nomen eſt; nec de eo ultrà dubitandum. At quomodo בבל erit ששך? Per commutationẽ Alphabeticam אתבש. quam quod velut ineptias Rabbinorum deridet Scaliger. 5. de em. Temp. faciat, donec etiam deflere ipſi libuerit ſuas: nemo enim eſt, qui non aliquando ineptierit. Fecit autem Jeremias conſilio, nomen Babylonis tectum obſcurumque proferens, vel ne regem offenderet, & in ſe & populares exacerbaret Babylonios urbem tum obſidentes, quod Hieronymo: vel, ut Judæi ſcirent, non eſſe feſtinandum; cum prædicta fuiſſet pœna Babyloni, quia hoc eſſet vaticinium quaſi ſepultum, ita ut nomen verum Propheta reticeret, quod Calvino: vel quod mihi videtur, pro more Prophetarum, quos nomina propria vel vocibus vicini ſoni, vel ejuſdem numeri, vel converſis literis, vel alluſionibus, ad certa quædam geſta vel eventa variare conſueviſſe notum eſt, præſertim cum ingrata prædicerent. Ex iſto more & ſtylo Eſaias XXIX, 1. urbem & templum denominavit אֲרִיאֵל: de qua denominatione vide Emper. ad Codic. Talm. t. Middoth, p. 97. & 167: & cap. XIV. 4. Babylonem voce Chaldaica מַדְהֵבָה, qua avaritiam regis Babylonici & variorum tributorum, penſionumque in auro, adinventiones perſtringere voluit. De Michæa probat idem Grotius ad cap. I, 10: de Jeremia, qui utpote è familia ſacerdotali talium κρύψεων fuit imprimis gnarus, Glasſius l. 4. Gramm. S. tr. 3. p. 816. 839, & 840. Neq; enim iſta Cabala tam recens inventum eſt, quàm putatur: (nam & LXX Interpretes, ne de Chaldæo paraphraſte quid dicam, ſubinde eam ſecuti ſunt;) ſed pars Legis oralis traditæ Moſi & ſenioribus, propagataque ad ſapientes populi Jud. & conſervata, uſquedum poſteriores eam referrent in literas & exemplis Biblicis illuſtrarent. Videre de ea eſt apud Reuchlin. ll. de Cabala: Serarium lib. I. Joſuæ c. 10. q. 2: Buxtorfium l. de abbreviat. Schick. bechin. happer. Glasſium l. 2. Philolog. Rittang. not. in l. Jetſirah: R. Men. ben Iſr. Concil. in Exod. qu. 50. Conatur quidem L. Fabricius in Partit. Cod. Ebr. c. 4. exempla τȣ̃ אתבש è Jerem. cap. LI & XXV petita eludere; ſed fruſtra eſt. De primo enim eum refutant ipſi LXX, qui לֵב קָמַי expoſuere ex hac Cabalæ ſpecie per כַּשְׂדִּים ſeu χαλδαίȣς: in altero præſupponit, ששך eſſe Deam, quod prius probandum erat.

Ze-

Zephanias IV. Reg. XXV. 18. vocatur כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה ἱερεὺς δεύτερος, quod ſecundo à ſummo ſacerdote ordine, loco & dignitate eſſet; poſteriores vocarunt Pontificem alium, ſacerdotem magnum alium, & Segena: (& ſic Targum Jerem. 52, 24: 4. Reg. 25. 18:) item הממונה Sanh. c. 2. §. 1. nomine ipſi cum reliquis ſacrorum munerum præfectis, quos XV numerat Emp. ad Cod. Middoth c. 4. §. 1. p. 138. & Cun. l. 2. c. 14. è Maſs. Schekalim, communi. Erat Segan, qui & Pontifici vicarius dabatur, & ei ſucceſſor deſtinabatur. Hinc Eleazarum Aaronis f. primogenitum, & ſucceſſorem futurum, Jonathan in Targum Num. XIX. 1, vocat סְגַן כָּהֲנַיָּא *antiſtitem ſacerdotum*, (ita reddit Buxt. in Lex. Thalm. voce סגן: Seld. lib. 2. de ſucceſſion. in Pont. c. 1. f. 204.) ſecundarium ſacerdotibus ſummis, vivo etiamnum patre. Durabatque Segenis dignitas cum vita, uti Pontificis, non exuebatur, (hoc eſt, nunquam degradabatur, ut ſecundus à ſummo ſacerdote non eſſet, qui ſemel ei loco erat admotus) uti putas: hoc enim de eo, quando ex cauſa (ſi fortè caſu quodam impeditur ὁ πρῶτος, quò minus muneri ſuo vacare poſſet, uti contigiſſe Simeoni f. Camithi, & propterea iſtâ vice fratrem ejus ingreſſum fuiſſe è Gemara Babylonica narrat Seld. l. I. de ſucc. in Pont. c. 12. f. 192.) ad certam functionem tempuſque, nim. in diem Jejunii ſeu feſtum Expiationum, ſummo Sacerdoti in ſacris uſitatis peragendis ſurrogatus fuiſſet, intelligendum eſt. Abdicabat ſe Segan, ſcil. mundata pollutione ſummi ſacerdotis, à functionibus hujus (qui in integrum reſtitutus, & munus ſuum de cætero rite adire cenſebatur,) in gradu autem ſummi ſacerdotis alius, ſeu ſecundarii, & heredis Pontificatus proximi, etſi functiones ejus non obiret, manebat. At cum IV Reg. XXIII, 4. Cohane hammiſchneh nominantur cum Sacerdote ſummo, nihil id ad vicarios iſtos Pontificum attinet; ſed ſignificatur totum ſacerdotum collegium, ſeu omnes inferiores & gregarii, quatenus Pontifici velut ſupremo ſupponntur; (inter quos licet ſint principes & capita familiarum ſeu claſſium ſacerdotalium, qui non minus ἀρχιερεῖς & ἄρχοντες τῶν πατριῶν τῶν ἱερέων à LXX adpellantur, in iſta tamen ῥήσει dignitas ipſorum omnium, etiam diverſa, dignitati ſupremi Sacerdotis contradiſtinguitur; & propterea, cùm hic ſolus dicatur πρῶτος, rectè reliqui omnes ſecundarii, inferiores, minùs præ-

ſtantes, οἱ δευτερεύοντες ab iiſdem LXX nuncupantur. Imò res à Rege Joſia ibi præcepta talis fuit, ut omnes omnino ex ordine ſacro concerneret, & tam majores quam minores & medioxumi, quod agerent implendæ regis voluntati, haberent. Quare כֹּהֲנֵי הַמִּשְׁנֶה ibi ſunt reliqui poſt ſacerdotem הָרֹאשׁ omnes, non peculiare aliquod corpus ſeu claſsis ſeu collegium, in qualia plura diſtincti fuere. Ita me tibi æſtum iſtum ſatis explicaſſe exiſtimo. De Diſputatione Dn. D. Horneji diù eſt cum reſcivi: rogatus etiam à noſtratibus ſententiam, dixi, ſine ambagibus, liberè, verbis quæ deſcripta tecum communico. Hoc videor effeciſſe, ut mitiùs nunc judicent, qui videbantur indignari veſtratibus & condemnaturi eſſe quod præproperè & malè arripuerant. Grandio Jenenſis adplauſores hic nunc nullos habet: quin audio monitum fuiſſe autoritate Principis, ne moveret Camarinam, quam non moveri melius eſſet; tũ ut ſibi parceret fruſtrà ſe fatigando: an pareat, neſcio: promiſit quidem, myſterium juſtificationis & ſalvationis hoc ſemeſtri καταρκευαϛικῶς ſe tractaturum. Academiam veſtram abundare Viris ſolidè doctis jamdudum perſpexi: quam laudem ſiqui ei invideant, paſſiva res eſt. Urit iſta urtica etiam eos quos ſapientes & emendatis adfectibus eſſe tinnit ipſorum profeſſio; &, quod dolendum imprimis, ὁμότεχνοι ſunt ἀντίτεχνοι: ſpernunt mutuùm & ſpernuntur; lacerant & lacerantur. Ea verò Doctorum ἀντιτέχνησις ex ambitione nata ominoſa literis eſt, & decrementi vicinitatem portendit: divinatioque hæc non reddetur irrita, ſi cum obſtinatione inſaniendi perrexerimus, & Dei averſantis mores noſtros inhumanos, præſertim mutuò adverſandi, indignationem amoliri ſeria emendatione & caritatis Chriſtianæ exercitiis neglexerimus. Princeps Medicorum Germaniæ HOFMANNUS, Prof. Altorfinus, CONRINGIUM ad me deprædicavit dudum, ſuaſitque ut ambirem ejus notitiam: feciſſem, ni occaſio defuiſſet; pudet enim eſſe θυρεπανοίκτην, & prenſare è longinquo manum ignotorum impudentiæ proximum habetur. D. Hornejus th. XV. meminit Longiniani cujuſdam Auguſtino familiaris; velim ſcire, cur Philoſophum adpellet: certè profeſſione non fuit, ſed in actu civili magiſtratus, nim. Proconſul Africæ, Coſ. Varane, anno Chr. 410. Comes ſacrarum Largitionum anno Chr. 399. Coſ. Theodoro, Flavius Macrobius Longinianus, ut patet è Cod. Theodoſiano. Patrem habuit cognominem, Præf. Urbi anno

Chr

Chr. 404. notum ex epiſtol. Symmachi l. 7. & Præf. Prætorio Italiæ, in quo magiſtratu tumultu militari anno Chr. 406. Ticini occiſum: Zoſim. l. 5. Alterutrius horum tanquam Chriſtiani facti meminit epigramma Romanum ad fontes, à Grutero Corpori Inſcript. Rom. inſertum f. 1164. a. D. Calixtus th. XV. Diſp. de miſſis ſolit. producit è Reginonis opere de diſcipl. Eccl. Canonem Concilii Nannetenſis quendam, quo prohibetur Miſſa ἀκοινώνητος: quem etiam ex eo recenſeat Caſſander in Liturgicis. Addit autem extremis ejus nonnulla quæ Caſſander non habeat, extent verò in Cod. mſcr. Reginonis Biblioth. Juliæ. Verùm ſcire oportuit capitulum illud integrum legi apud Jvonem Decret. P. 3. cap. 70. tanquam 30 Concilii Nannetenſis: itemque ſolùm demta comminatione apud Cham. t. 4. l. 6. c. 14. §. 9. Canon th. XIII. citatus ex addit. ſecunda ad Capit. Caroli M. & Lud. Pii, non decimus eſt, ſed ſeptimus. Th. XVII. *vina ſacrata* apud Agobardum ſunto *ſaccata*. οἶνος σακκίας, Polluci l. 6. c. 2. ὁ διϋλισμένος ; Theoph. δινθινὸς: de quo Var. l. 3. c. 6. p. 443. egi. Th. XVIII. in verbis Tertulliani *caros Dei* interpretatur *martyres*. Atqui Tertullianus de vivis loquitur, quos interceſſores ad Deum rogent pœnitentes: quibus adpellationem martyrum ex uſu communi quomodo aptabit? debuit, *fideles*: quod & jubent ſequentia apud Tert. *omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere:* & ſic Molin. tr. de altar. & ſacrif. c. 7. Th. XX. Innocentio III verba miſſifici ſolitarii referri poſſe ad Angelos decernenti, duas è Canone Miſſæ difficultates, quæ id reddant dubium, objicit; ſed excutiendum etiam fuit, quod iis repoſuerat Forerus Antiq. Papat. contra Molin. l. 7. contr. 13. c. 2. n. 9. p. 487. Mihi, ne quid diſſimulem, non videntur iſta è Canone Miſſæ petita ſatis idonea rei cui adhibentur. Maximè delector genio ſcriptionis quem in veſtiatibus Theologis deprehendo; velim igitur, indices ſcriptorum utriuſque mihi conſignes: curabo enim adferri, quæ videbuntur. Interea compares, quæſo, mihi D. Calixti Commentarium de communione ſub utraque, & Diſp. de verit. relig. Chriſt. tum D. Conringii tr. de calido innato: de ſcorbuto: Th. Fieni tr. de ſpiritibus: & alterum de generat. hom. niſi fortaſſe hic ille eſt, qui anno 1610. ſub tit. de formatrice fœtus in utero, prodiit: quem legi: Diſcurſum de Imp. Romano Germ. aut. Hippol. à Lapide in 4. vel edit. Lugd. Bat. in 12. Iſta quamprimum mihi curaveris, faxo ut

B 2 bona

bona fide & ſine mora refundatur precium. Cunæus loco quem ſignas in tuis duos poſt Segenem ſubvicarios è Maim. nominat קתיקוקין. Ii nulli alii ſunt quam dicti à Græcis *καθολικὸι*, à Latinis *Generales*. Erit igitur vel habendum pro ſphalmate tranſpoſitis in tertia vel quarta ſyllaba ל & ק, item ו & י, (ita אספניא *aſphania* in Sanh. c. 2. §. 4. pro אפסוניא *apſonia* *ὀψώνια*, ſtipendia militum,) vel è Judæorum, qui in aliarum linguarũ vocabulis detorquendis miram licentiam ſibi ſumunt; *κακοήθες* exponendũ. Catholici apud Romanos ſunt *οἱ ἐπὶ λογοθεσίȣ*, ratiociniorum præfecti, rationales ſummarum, *κεφαλαιῶται*: item Cæſaris in provincia procuratores rebus fiſci impoſiti, rationales ſummæ rei: ad quorum officium qui pertinebant, ii Catholiciani vocabantur, l. 9. C. de bon. proſcriptorum. Buxtorfius in Lex. Talm. f. 127. & 2164. variat: agnoſcit enim illos Maimonidæ Catholicos tanquam è Græco ſumtos, & vicarios tamen Segenis קתיקולין *kathiculin* vocat, non expreſſa ratione ulla nominis. Sed cur ad iſta regredior? Amor neſcit ordinem, mi cariſſime VORSTI, imò מבטלת ſeu pervertit, ut traditur in Gem. Sanh. c. XI. §. 57. verbis R. Sim. f. Eleaſaris. Volebam plura; ſed deſit charta. Tu mi cariſſime Vorſti vale & ſalve

à REINESIO D. Altenb.
14. Auguſt. An. 1647.

Inſcriptionum veterum ſiquas conquirere poſſes, præſertim nondum à Grutero occupatas, gratiſſimum id mihi accideret.

JUDICIUM.

De verbis *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, cujus in proxima ſuperiore epiſtola fit mentio.

BEne perſpectis perpenſiſque omnibus, quæ de neceſſitate bene operandi in ſalvandis agitantur inter Theologos, deprehendo totum iſtud certamen, quo Eccleſia harum regionum ante hos 70 annos gra-

graviter adflicta atque lacerata fuit, tandem in meras cavillationes exire: &, ſi qui hodie à propoſitione iſta *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, quam tum defenderunt Theologi Wittebergenſes, abhorrent, non ab ea abhorrent tam quòd falſa ſit & falſitatis manifeſtè convinci poſſit, quàm quòd propria ſit Reformatorum plerorumq;, quas irreconciliabiliter oderunt, & nihil veri dixiſſe ſcripſiſſeque vellent: qui mores mali nemini bono probantur. Veritas à quocunque tandem homine dicatur, veritas eſt; ne inſpice cantharum, ſed quod in eo eſt, ajunt. Cum enim in Eccleſiis noſtris illud, *ſine ſanctimonia neminem viſurum eſſe Deum*, & quæ huic ſunt ſimilia, ſonent, cur verbis idem ſignificantibus, *ſine operibus pietatis neminem ſalvari poſſe*, & *neceſſe eſſe ut qui ſalvari velit bene è præſcripto divino operetur*, uti nolemus? Certè inanis tergiverſatio eſt, & anilis ἀκκισμὸς, cum de re cum altero convenis, verba eidem rei ſignificandæ apta adhibere nolle. Placet mihi ſententia Theologorum Würteberg. in apol. ad Aug. Sax. Elect. an. 1564, oppoſita cenſuræ Wittebergenſium his verbis concepta, licet in alio negotio: **Man hat ſich der neuen ungewöhnlichen Reden bey frommen verſtändigen Chriſten nie ſo hoch entſetzet / daß man darumb einen groſſen Keſſel übergehenckt / wenn die Meinung recht und Chriſtlich erfunden iſt worden.** *Non præjudicant verba; ubi ſenſus incolumis permanet*, inquit Vigilius l. 4. adv. Eutychem. At, inquis, in perverſum ſenſum ex ambiguo trahi poteſt iſta propoſitio. Reſp. Vanus eſt iſte metus, ſi rectè exponas, omniſque meriti & cauſalitatis ratio excludatur; nim. neceſſaria eſſe bona opera ad ſalutem tanquam cauſam ſine qua non. promiſſiones enim Evangelii ſub conditione pœnitentiæ & obedientiæ factæ ſunt, & hanc requirunt in actu. *Reſipiſcite & credite Evangelio*, inquit Dominus Marci I. 16. Si requirunt, quidni neceſſaria erit? Cothurni iſtius, de quo dicebam, bona opera eſſe quidem neceſſaria ad ſalutem; ſed id non eſſe ſic pronunciandum, artifex fuit Philippus. Ecce enim in reſp. ad artic. Bavar. & in Concordiæ Wormat. formula ait, ſe docere bona opera neceſſaria eſſe quæ debita ſunt ordine divino: ſed nolle ea dici neceſſaria ad ſalutem ſeu vitam æternam, ne hac additione intelligatur meritum. Contrà in Eccii refutatione: *Nova obedientia*, inquit, *fidem ſequens eſt neceſſaria ad vitam æternam, non quod ſit precium aut meritum, aut juſtitia, quæ poſſit opponi judicio Dei; ſed quod ſit effectus ſeu novitas conjuncta fidei, ſeu debitum neceſſariò ſequens, & quòd placeat,*

quia perſona jam accepta eſt. In hac poſteriore adſertione probat & eloquitur rem iis verbis, *Nova obedientia eſt neceſſaria ad vitam æternam*, quæ in priore adhibere metuit vel renuit: quæ veteratoria ſophiſtica eſt & κυβεία; cujus etiam illi, qui priorem ejus amplectuntur, hodieq; rei ſunt. Docent enim juſtificato & hereditatem vitæ æternæ adituro neceſſariò piè vivendum eſſe, & pietatis tamen ſtudium, actualemque dilectionem proximi, ad conſervandam ſalutem ei non eſſe neceſſariam; quæ quidem ego, ita hebes ſum, conciliare nequeo. Fateor autores Formulæ Conc. in declarat. art. 3. & 8. inter errores rejicere hoc, ſi quis doceat, hominem abſque bonis operibus ſalutem æternam conſequi impoſſibile eſſe; & propterea fortaſſe tam ſollicitè cavetur in Prop. *Bona opera ſunt neceſſaria*, προσθήκη iſta *ad ſalutem*; item in declar. ad art. 4. eoſdem reprehendere hoc, ſi quis doceat opera apprehenſam juſtitiam & ſalutem conſervare: ſed cum ſciam iſtius libri humanam tantùm autoritatem eſſe, ejuſque dogmata & anathematiſmos eatenus recipi debere, quatenus cum verbo Dei & ſenſu primitivæ Eccleſiæ Doctorum conveniunt, impunè ab eo recedi poſſe puto, ſi quid pro errore habeat, quod error non eſt, & adſerat quod cum verbo Dei & antiquæ purioris Eccleſiæ dogmatibus non omnino conſentit. Eſt autem contra expreſſam Salvatoris ſententiam, nos ita ſalvari fide, ut nullus prorſus habeatur operum reſpectus. Ait enim, *Fac hoc & vives: Niſi reſipiſcatis, omnes peribitis: Niſi abundaverit juſtitia veſtra*, (ſcil. operum: de his enim loquitur in proximè ſequentibus) *plus quam Scribarum & Phariſæorum, non ingrediemini in regnum cœlorum. Qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cœlis, introibit in regnum cœlorum.* Imò non omnes Eccleſiæ Saxoniæ librum iſtum agnovere pro ſymboli ſuæ doctrinæ parte. Unde tanto minùs mirari oportet, ſi in Academia Julia, quantum ad quæſtionem iſtam, docetur id quod Formula Conc. reprobat. D. Dan. Hofmannus quidem in Iſag. ad fundam. Theol. Loco XXI. th. 9. non concedit, Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem, & neceſſaria tamen eſſe adfirmat; ſed quia ibi contra adverſarium ſuum Bezam diſputat, fervore contentionis eò abreptus eſt, quo ipſum diſcipuli ejus Dnn. Theologi Helmſtadienſes & alii ſequi meritò recuſant. Hos autem etiam excuſare poteſt perverſitas noſtri ſeculi, quod doctrina de ſola fide in negotio ſalutis ad ſecuritatem & licentiam abuti notius eſt quàm ut probatione indigeat, uti præterito ſeculo cum operibus nimium tribuerent &

mere-

mereri ea ſalutem ſibi perſuaſiſſent homines, de fidei ultima neceſſitate & operum imperfectione docendi potius fuerunt. Si periculoſum eſt neceſſitatem bonorum operum & ſanctitatem converſationis adſerere propter Pontificios: at non minus periculoſum eſt tantùm inculcare fidem propter hypocritas, maximam partem eorum qui vocantur Chriſtiani; de quibus verè dicere poſsis quod olim Salvianus de ſuis: *Præter pauciſſimos quoſdam qui mala fugiunt, quid aliud penè eſt cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum?* Cum igitur, ſalva in omnibus divina veritate, tempori inſerviant, & præſenti fidelium ſtatui ſe accommodent ii qui bonorum operum neceſſitatem & innocentiæ vitæ tantopere nunc urgent, prudentiam potiùs eorum laudare, & gratias iis agere, quàm novitatis aliquod ſtudium & receſſum à doctrina in Eccleſiis orthodoxis ſonante imputare conveniebat. Τοιοῦτον γὸ ἐμὸν φρόνημα.

P. S. Controverſiam iſtam ex hiſtoria juvenis è Phariſæis jactanticuli Matth. XIX. dijudicare poſſumus, & concludere pro parte adfirmante. Certè diſtributio opum in pauperes, ſeu bonorum relictio & ἀποταγὴ, fuit ei abſolutè ad vitæ æternæ adquiſitionem neceſſaria, tam ratione intrinſecæ neceſſitatis, quia obſtaculum hoc, quod cor ad opes ſuas adponeret, ſine diſpendio ſalutis non poterat conſiſtere, quam reſpectu externæ necesſitatis, quam inferebat mandatum Domini, *Vade & vende omnia quæ habes:* quod pariter ſine æternæ damnationis periculo non poterat negligere.

Addo & hoc: conſentire cum doctrina Helmſtadienſiũ etiam Praxin & Medullam catecheticam Marpurgi Anno 1606, cum ibi florerent Leuchterus, Meurerus, Winckelmannus, editam. Sic enim ea: *fidem ſufficere ad adprehendendam ſalutem, non autem ad eam conſervandam: ſed amplius requiri vitæ emendationem; &* Quæſt. LXX: *Vitæ emendatione perfici converſionem & fidem & ſalutem in nobis conſervari.*

EPISTOLA III.

MI cariſſime Vorſti, quod anxiè fortaſſis expectas, id primùm omnium ad Te expediundum mihi eſt; reſponſum ad tua quæſita. Ἐπίσκοποι οἱ ὑπὲρ διοίκησιν in Canone II Synodi

Conſtantinopolitanæ I ſunt, qui Diœceſin exiis, in quas tum Imperium Orientale diviſum erat (ſequebatur enim ferè Eccleſia Politiam) aliquam regerent, certæ Diœceſi præpoſiti, ut loquitur interpres Socratis. Præter quadruplicem Canonum iſtius Synodi interpretationem Latinam, quam dedit Binius, aliam Canonis ſecundi recitat autor Bruti fulminis, qui putatur Hottomannus p. 120. hanc, *Epiſcopi quibus ſua Diœceſis attributa eſt:* quâ ſenſum Conſtantinopolitanorum Patrum rectè exprimi puto. Præpoſitione ὑπὲρ utuntur Græci circa notionem altitudinis & eminentiæ. Imò ſi quid inuſitatioris Græciſmi hîc eſſe fateri oporteat, dixero deſumſiſſe eam locutionem Græculos iſtos à Latinis, uti feciſſe eo ſeculo, præſertim in Eccleſiaſticis, cuivis notum eſt. Latini dixerant, *ſuper pædagogos puerorum*, Spart. in Adr. *ſupra coquos, ſupra velarios, ſupra cubicularios*, in Inſcriptione veteri, pro *præfectis pædagogeo, coquorum, velariorum & cubiculariorum corpori.* Οἱ ὑπὲρ διοίκησιν igitur hic qui Diœceſin moderantur. Qui verò tum fuerint epiſcopi tales, exprimunt planiſſimè Patres, nominant enim Alexandrinum & Antiochenum, qui habebant καὶ τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον, cujus juris pars maxima erat in ordinandis Metropolitanis, καὶ τὸ τῶν μητροπολιτῶν à Synodi Nicænæ Can. 6: tum Diœceſeon Ponticæ, Aſianæ & Thracicæ Exarchos & Metropolitas, hoc eſt, Cæſarienſem, Epheſinum & Heracleenſem, qui tunc erant αὐτοκέφαλοι, quod etiam notavit Balſamon in Commentario in hunc Canonem, & cum ſuis Metropolitanis & comprovincialibus Epiſcopis ſuas Diœceſes liberè, ſingulari & eximio jure adminiſtrabant, donec a Concilii Chalcedonenſis Canone 28 Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjicerentur: Pòſt enim ex delegatione, & velut vicarii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ordinationes in ſuis Diœceſeſin peragebant: de χειροτονίαις autem præcipuè loqutur canon noſter II. Ex his de valore conceptuum tuorum, quos ſuper iſta phraſi formaſti, judicabis ipſe. Socrates autem qui lib. V. c. 8. tunc è Metropolitanis quoſdam eſſe conſtitutos Patriarchas dicit, fallitur. Erat enim hoc à Synodi inſtituto alienum: & præter Nectarium qui in ea Synodo ordinatus eſt, multi Ponticæ, Aſianæ, & aliarum diœceſeon nominati Epiſcopi multò ante Synodum ſuis Eccleſiis ſupremo jure præfuerant. Quæris etiam de Antiocheno, an tempore

pore Concilii Niceni fuerit Patriarcha. Cum veraciter Patriarchæ ſint illi qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, ut definit Nicolaus I ad conſulta Bulgarorum c. 92, affirmandum omnino eſt; nimirum rem habuiſſe, etſi titulus demum ſubſequis temporibus, cum typhus è ſeculo invaderet etiam homines ſacros, acceſſerit. Abuſum tamen vocabuli, quo primatem etiam denotat, ignorare non debes; item Antiochenum in Synodo Epheſina & Chalcedonenſi, cum eum Epiſcopi Cypri tanquam invaſorem alienorum jurium accuſarent, Epiſcopum tantùm vocari; contrà in Concilio Matiſconenſi 2. anno 588, Primatem Galliarum ſeu Archiepiſcopum Lugdunenſem appellari Epiſcopum Patriarcham. Quæris iterum, an Antiocheni epiſcope ultra Syriam Cœlen ſe porrexerit tempore concilii Niceni. Ajo, quia Phœnicen, Palæſtinam, Arabiam, Oſdroënam, Meſopotamiam, & alias Orientis, etiam apud Perſas, gubernavit, adſcitis quidem in partem curæ Metropolitis Provinciarum illius diœceſeos, ſed ſervatis Eccleſiæ Antiochenæ privilegiis per Canones Concilii Niceni, ut loquitur canon noſter, ipſi adſertis. In Synodo verò Chalcedonenſi, act. VII, tres Palæſtinæ ademptæ Antiocheno, attributæ ſunt Hieroſolymitano. Quæris tandem, quomodo epiſcope Romani Pontificis ſe porrigere cœperit ad Sirmienſem, mox ad Theſſalonicenſem exarchum. Reſpondeo, quia fidem uterque ſuſcepiſſet ex urbe, æquum erat, ut Eccleſiam urbicam agnoſceret pro matrice. Imò Sirmium erat Pannoniæ inferioris ſeu Saviæ, Theſſalonica Macedoniæ: utraque Præfecto Prætorio Illyrici parebat; Illyricum autem eſt diœceſis Occidentis: quare ad Eccleſiam Occidentalem rectè relata utraque. De Theſſalonicenſi, quod Romanæ ſedis vicem per utramq; Epirum, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam &c. geſſerit à Damaſo inde & ante eũ, refert ex epiſt. Adriani I. P. R. Nicolaus I. epiſt. 2. ad Michaëlem Imperatorem. Sed ad quæſita tua ſatis. De Sedibus Apoſtolicis ſeu primariis in Eccleſia veteri ſi commentari voles, plurimùm juvare te poterunt ſcripta $\grave{\alpha}\mu o\iota\beta\alpha\tilde{\iota}\alpha$ Salmaſii & Jacobi Sirmondi. Ille de regionibus (Italiæ) & Eccleſiis ſuburbicariis ediderat commentariolum: ei Sirmondus cenſuram oppoſuit; tum Adventoriam; Salmaſius Euchariſticum opus prolixum: cui Sirmondus reſpondit Propemptico; hoc poſtremũ editũ habeo Pariſiis A. 1622. Supervenit huic liti Samuel Petitus, & Salmaſio contra Sirmondum adfuit

in nonnullis l. 3. Variar. Lect. cap. 6. Idem etiam de regionibus ſuburbicariis & annonariis diſſerit l. 3. Miſcellan. c. 23. edit. Pariſ. An. 1630. & de Africæ primis ſedibus & metropoleſi: de Primatibus & Metropolitis, quos differre probat, eruditisſimè l. 3. Var. c. 1. Hæc, inquam, antequam quicquam præterea moliaris, lege. Ea ipſa materia abripiet te ad Canones Concilii Niceni, præſertim ad ſextum, ad quem inſanæ moles commentariorum à Piſano, Turriano, Poſſevino, Chamiero, Capello, Schulteto, Blondello, & aliis omnibus, qui Pontificem R. vel cœlo locant, vel terræ adflictum in ordinem cogunt. Calixtus iſta omnia te docebit κάλλιϛα, quippe τρίβων ϗ πολλὰ παλαιά τ' εἰδὼς, ϗ πανεπιϛήμων. Langermanno gratias egi pro misſis Inſcriptionibus; & ſic puto me invitaſſe ad mittendum etiam reliquas. Tu verò ne ceſſes aurem vellere homini, ſi moratorem ſenſeris. Notulas breves admodum in dictas accepit, ſed quæ nonnullas luculenter explicent, etiam obſcuras. Schraderus in hoc literarum genere non admodum feliciter verſatus eſt, ſi Codex quem ſignificas manuſcriptus lapides literatos non aliter exhibet, quam in editionibus monumentorum Italiæ leguntur. D. D. ConringI V. C. manum, qua ſuos mihi libellos, quos ante comparaveram à Leidenſibus, qui alterum excuderunt, dono obtulit, exoſculor: ei vicisſim ἔκτυπον vultus mei cum plurimæ ſalutis & obſervantiæ nuncio trades: ſpem etiam facies Κυρανίδας à me habiturū, quamprimùm Lipſia, ubi latent ἐν γωνίᾳ πȣ, uti merentur, vel ob ſtercoreas hominis nauci notas, adquiſivero. Monſtrum, quem modò nominavi, quale & quantum ſit, è rhythmo vernaculo, cujus ducenta exempla Lipſiæ diſtracta eſſe, perveniſſe etiam ad ejus ad quem pertinent manus, audio, intelliges plenius: Autor ejus quidam è literatis Aulæ Dreſdenſis, prior ab inſano Poëtaſtro & correctore inepto, interim maledico ſcurra, læſus. Dixerat iſte quæ voluerat in famam & nomen hominis docti falſa; audiat igitur quæ non vult de ſeipſo vera, & quæ pueri cantant in triviis ancillæque. Nondum poſuere iræ in Thuringia adverſus D. D. Hornejum conceptæ; diſputatur, ut vides, adverſus eum acriter; proclamatur vel ipſe hæreticus, ob propoſitionem quandam ſuam, vel tamen hæc hæretica; proximum eſt ut, quando placuerit, faciant ἀποσυνάγωγον. Jenę nihilo mitiùs cum eo agitur: pertexuntur, etiam à Magiſtratu interdicti, Dictatus, &, quantum audio, inquirent archipe-

recitę

recite pro ſuprema ſcil. ſua poteſtate in eos qui anathematiſmos in Hornejum cuſos,cudendoſq;, non probaturi eſſe & moderatiora ſentire ſuſpecti habentur: hæc quidem ſacerrima τῶν ἀπὸ τοῦ βήματος tyrannis fuerit. Fortaſſe non procedent eò; quod optamus. Exemplaria tria mearum Variarum juſto me vendidiſſe exiſtimabo, ſi cum volumine diſputationum D. Horneji; D. Calixti methodo Concordiæ Evangelicæ; Epitome,& Vincentio Lirinenſi ea permutaverit Bibliopola: cui conventioni te velim interpretem. Sed nunc te mitto, mi ſuaviſſime VORSTI. Optimè vale, & ſalve

à deditiſſimo Tibi

REINESIO, D. Scr. Altenb.
prid. Kal. Martias.

EPISTOLA IV.

SAlve, mi ſuaviſſime VORSTI. Rectè venerunt ad me binæ tuæ; alteræ etiam cum adpendicula. Convenit igitur ut pro opera mihi præſtita gratias tibi habeam, & ne cum damno tuo mihi inſervieris, refundam in libellos miſſos prærogatam pecuniam. Accipis igitur hac vice florenum Rhenenſem. Velim autem ut deſcriptos hic D. D. Calixti tractatus à bibliopolarum veſtratium aliquo mihi compares pariter, fide interim tua, dum meam apud vos liberem, interpoſita. Litem quam veſtratibus Theologis moverunt alii, etiam D. Waltherus ſuam facit, & Propoſitionem *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem* æquipollere iſti *Impoſſibile eſt quenquam ſine obſervatione legis ſalvari*, quam impiam & blaſphemam adpellat, contendit; & alia multa Quæſt. miſcellan. 80. 81. 82. & 83. cum ſtomacho declamat in illius adſertores. Sed meo judicio facilè ex ipſius principiis eam propoſitionem rectè colligi, oſtendi poſſet; id quod Menzero è propriis hypotheſibus demonſtravit L. Crocius in Adſert. Aug. Conf. Diſp. 2. th. 217. Imò Jenenſis quidam in Diſp. Iſagog. 8, quæ eſt ſecunda de Lege & Evangelio, nuper habita, cum doceat promiſſiones Evangelii factas eſſe ſub conditione fidei; fides autem ſine bonis operibus non ſit, fateatur oportet, promiſſiones Evangelii factas eſſe ſub conditione bonorum operum. Si autem

factæ ſunt ſub conditione bonorum operum, qua fronte hæc neceſſaria eſſe ad obtinendas Evangelii promiſſiones, vel ad ſalutem, negare poterit? Ita ſcilicet vel inviti veritati teſtimonium perhibent iſti, & qui antico ab Hornejo ſecedere videri volebant, ad eum arrepunt per poſticum. Barthium, quem mihi inſultaſſe, mentione non ſatis honeſta mei facta ad Langermannum, ſcribis, nemo prudens curabit, multò minùs probabit. Μεθύει γάρ· ȣ̓δὲν ἕτερον. Scilicet pupugit etiam hunc urtica ea quæ ſapientes alios: qui, cum vitiis aliis carerent, vel carere tamen videri vellent, uno Invidiæ adfectu ſuperati fuere. Quid mordet clanculum caſtigatorem ſuum? *An arguere licitum non eſt, quod æqvum eſt eſſe correctum*, ut loquitur Saresberienſis Policratici l. 7. cap. ultimo? Nondum refrixit mihi ſtylus, quo ulcera ejus, ἅπερ ἱλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι, fodiam, ſi porrexerit inſano hoc genere defenſionis uti: neque metuo δοκȣ̃ντα μὲν εἶναι βελάρεως· ὄντα δὲ λαγωόν. Ad poſteros, ſcio, durabit nomen meum, non perveniet invidia. Barthio, quippe Domino Deoque ſuo, συννοσεῖ καὶ συμβακχεύει quidam in pulpita Lipſienſia hiſtrio hodie, ἄνȣ μέγιστον χρῆμα: qui, cum ſtoliditatem ſuam, quã Notis in Κυρανίδας prodidit, & quam tetigeram ego lib. III. Var. lect. cap. 15, aliter tegere non poſſet, in me irruit Barthii cauſa, non ſua, (planè enim diſſimulat à me reprehenſum ſe eſſe) & puerorum anuumve more in nomine, quod familiæ illuſtri apud Belgas, præcipuè Hollandos in Epiſcopatu Ultrajectino, Dominorum de Reneſſe & mihi commune eſt, ſcurrilem, frigidum interim, jocum captavit, vocans ſcilicet me in ſuo quodam centone FURASINUM. Quid tibi nunc animi, mi Vorſti? Quid vobis animæ candidæ, doctæ, elegantes? anne inter pecudes potiùs quam homines hunc παράνθρωπον, hoc ἀπάνθρωπον monſtrum cum nequam lingua habebitis? Increpet Dominus beſtiam calami, qui ſcribens iniquitatem loquitur de proximo innoxio malè, & conſpuit, quod is omnium habet cariſſimum, nomen. Langermanno, ſiquid apud eum vales, quæſo, perſuade, ut, quod in ipſius manu eſt, & quas jam habet, & quas ab amicis habiturus eſt, Inſcriptiones mecum communicet: opus enim fervet nunc, &, ſpero, abſolvam ad prælum hac hyeme, ἐὰν θέλῃ τὸ θέλημα τȣ̃ θεȣ̃. Tantum eſt. Tu, mi cariſſime Vorſti, optimè vale & ſalve. Scr. Altenburgi 10. Jan. an. 1648.

Studioſiſſ. Tui *REINESIUS D.*

Cl.

Cl. D. D. Conringium, actis pro libello Epp. Leonis P. R. gratiis, meis verbis amantiſſimè ſalutabis, eique exemplar Variarum (aliud enim nunc ad manum nihil eſt) obferes. Kapitulare Karoli M. aliquando adparere, præſcripto ejus honoratisſimo nomine, faciam cum notatiunculis meis; dignum enim eſt intelligi à Germanorum χαριεστέροις, non tantùm legi. Abunde mihi ſatisfactum putabo, ſi tanta cum venia mea legere fuerit dignatus, quanta cum reverentia ego Ipſius.

EPISTOLA V.

SAl. pl. mi carisſime VORSTI. Rectè ad me pervenerunt ambæ tuæ, quibus Conringianas & Langermannianas incluſeras; paroque nunc utrique reſponſum. Gratulor etiam Tibi, quod Jenam cum comitibus ſalvus attigeris; Deus ſtudiis veſtris benedicat. Donus, Eques Florentinus, quem multas Inſcriptiones ingenti volumine collegiſſe ſcribit Leo Allatius, homo Græcus, Phœnix literatorum in Urbe, notus mihi eſt; habeoque ab Eo parario I. G. Volcammero, Medico Norimbergenſi, aliquot ejus generis. Ex ejus collectaneis etiam quaſdam in Commentariolum de donariis & tabellis votivis tranſtulit Jac. Phil. Tomaſinus, quas itidem repræſento in meo. Iſta Collectanea manuſcripta ſolùm vidiſſe Allatium puto; nondum eſſe vulgata. Interim gratias ago D. Schradero pro indicina. Charta famoſa in D. Hornejum ſparſa Dreſdæ excuſa eſt. Doleo vicem D. Horneji, qui infanda iſta patitur. Veſtrates nondum acquieſcere, ſed conari etiam alios in conſortium execrandæ litis pertrahere, didici è literis D. Cundiſii. Scilicet exiſtimant D. Hornejum numero diſſentientium opprimi poſſe; ideo vicatim colligunt ſuffragia. Non oportuit, meo judicio, certamen non neceſſarium moveri; ſed adtendi potiùs verba Chemnitii: *Sceleratum eſt torquere, quando de ſententia manifeſtè conſtat, phraſin contra manifeſtam ſententiam autoris:* & aurea hæc Auguſtini ep. CXI: *Siquid iſte frater aliter quam iſte vel ſentit vel loquitur, depoſita diſſenſionis amaritudine, & fraternæ caritatis ſuavitate ſervata atque in integrum reſtituta, diligenti & tranquilla conſideratione vel quærendum, vel diſcendum,*

vel docendum. Dn. M. Friſchmuht meis verbis peramanter ſaluta. Optimè vale, mi VORSTI, & ſalve

à

REINESIO, D. Altenb.
12. Maji, anno 1648.

EPISTOLA VI.

SAlve, mi VORSTI. Facilè condono Tibi iſtam offenſiunculam; interpretor enim te inadvertentia peccaſſe, non conſilio; ſufficitque eò mihi te culpam agnoſcere. Nihil Tibi apud me periit fribuſculo quod conceperam; ſaltem in poſterum cave à præcipitantia. Epicriſin meam, quam ſuper vexata D. D. Horneji Diſputatione aliquando rogatus ad Te miſeram, in manus aliorum perveniſſe tædio mihi eſt; non licuit Tibi ſcripturam privatam, præſertim de re controverſa, ad plures, de quorum fide dubitari poſſet, traducere. Memini quidem Dn. D. I. T. Majori permittere, ut judicium iſtud meum, quod volebat ſecum communicari, ex Te audiret, ſi tanti eſſe videretur; non autem præſagivi adeò ſimplicem Te fore, ut requirenti *αὐτὰς λέξεις* exhiberes. In iis neſcio quid reperiſſe, & ex iis exſculpere poſſe, qui alios adverſus me concitaret, putavit ſive Lynceus ſive Cœcilius quidam, videlicet interpres ſedens verborum meorum, pro lubitu meos loquendi modos explicans, & adplicans ei quem mihi inimicum vellet. Deteſtandum autem facinus! Certè Dei vox eſt, tale eſſe ejus, qui ſerit inter fratres diſſidium. Sed puerilis iſte *θηρολέξης* nihil adeò proficiet. facilè enim excuſabo mea, quandocunque requiret neceſſitas. hoc ſaltem lucrabitur, ut partem ſortiatur cum ſycophantis, cum viris lingua tertia (in die enim cognoſcitur ira ſtulti) & malam cauſam fovere deprehendatur, qui ſuffragia etiam è falſa proximi delatione conquiri & conciliari poſſe ſibi perſuaſit. Neminem volens ſcienſque læſi; ſed quod ſputa cujuſque lingere nolim, & libertate judicii in re indifferente utar, læſiſſe fingor. evadent hæc, niſi proviſum fuerit à ſuperioribus, in ſacerrimam tyrannidem, fœdiorem Pontificia. Dictæ *ἐπικρίσει* quod de Praxi catechetica Marpurgi anno 1606 edita adjeceram, dictum

ctum nolim. Eſt enim ea quidem dicto anno edita, ſed vel poſtquam abiiſſent noſtrates Gieſſam, vel repugnantibus iis: & curata igitur à partis alterius hominibus; recenſetur etiam à D. Menzero Exeg. A. C. art. 4. & 12. inter ſcripta Calviniana. Cyrus, cujus epiſcopus Theodoretus, Syriæ Cœles opidum fuit, conditum à Judæis in gratiam memoriamve Cyri, à quo tot beneficijs fuerant adfecti. Ab eo opido regio Apameenſi, Comageno, & Antiochenſi agro vicina Cyrrheſtica dicta fuit. hujus meminit Plinius lib. 5. cap. 21. Strabo lib. 16. vocat Κυρηστικήν. Ptolemæus in θέσει Συρίας κοίλης Κυῤῥηστικὴν, & inter ejus urbes Κύῤῥον, Ἱεράπολιν, Βέῤῥοιαν, & alias. Antiochia, in qua natus Theodoretus, bidui itinere abfuit, teſte ipſo. Fruſtra igitur eam in Cypro locavit ὁ δεῖνα, vel tu in Perſia quæſiveris. Scriptor vetus ἐξηγήσεως ὅλȣ τȣ̃ κόσμȣ, Syrus natione, æqualis Conſtantini M. cum Syriæ plurimas urbes deſcripſerit, hujus non meminit. Παρελείψαμεν γὰρ πολλὰ, inquit, ἵνα μὴ ἐκτείνειν ἔξω εὐκαιρον τὸν λόγον δοκῶμεν, καὶ τὰς λοιπὰς χώρας τε καὶ ἐπαρχίας γράφειν δυνώμεθα. Quod Salmaſio in tua Exercitatione contradicis, rectum factum eſt; & nec me cum ipſo ſtare ex iis quæ marginibus meorum libellorum, quos vobis mittebam, alleveram, cognoſcere potuiſti. Bene vale & ſalve

à

REINESIO, Altenb.
8. Sept. anno 1648.

EPISTOLA VII.

Spl. mi cariſſime VORSTI. Mallem de privata illa ad Te ſcriptura, & nata inde mihi moleſtia, tacuiſſes, poſtquam ſimplicitati tuæ me ignoſcere cognitum haberes. Superavi eam forti animo, & contemtu me vindico à minis, quæ vanæ ſunt, fulgur è pelvi, & non niſi pueros terrent. Nunc quia video te me non intellexiſſe, aliquid adponendum præterea eſt. Non accuſabam ego eum qui verba mea ſiniſtrè, tanquam in ſe dicta, interpretaturus, & indignaturus mihi videbatur; huic enim ſatisfacere poſſe ſperabam, & ſatisfeci ſic inter-

prete

prete amico, ut quieturum eſſe porrò, & ab eo ædes liberas habiturum me exiſtimem: certè auribus tantùm peccaverat, quòd ſuſurronem cum lingva tertia nimis facilè admiſiſſet; conquerebar ad Te de eo qui calumniam mihi ſtruxerat ſciens apud Eum, quem in me concitare, quem inimicum mihi, qui neutrum tamen læſeram, vellet: hujus hominis puerilem (minimè enim virile eſt ex inſidiis incautum aggredi, & quidem per alium velut ſuccidaneum ſubſeſſorem) malitiam deteſtabar. Eum quod non agnoviſti, vel tamen agnoſcere diſſimulas, miror: ſimul hoc, quomodo mea cum D. D. Majore, de cujus candore quid mihi promitterem, habebam, lubente me communicata, ad alios, quibus non æquè fidebam, quòd ſcirem, eſſe *ἀγαθοφανεῖς, χρηστολόγους, κρυψινόους*, qui ne collegis quidem ſuis parcerent, ſed in eos indigna machinarentur, dimanaverint. *Ἀλλ᾽ ἐκεῖνα μὲν ἐάσθω·* & mittamus iſtum. De altero verum eſſe ajo ipſe quoque nimiùm ſibi arrogare; præſertim cum de aliorum dictis ſcriptiſque cenſuram ſibi ſumit, intemperantiùs eam exercet, & vel nimis argutando obſcurat veritatem, vel hanc curioſiùs rimando caritatē prætervehitur, *Φαντασιοκόπος εἰς τοσοῦτον, ὥστε μηδένα ἀντιλέγοντα πρᾴως φέρειν, ταχὺς φρονεῖν, οἷος πεπνυμένος, τοὺς δὲ ἄλλους πάντας κατὰ πετρῶν ὠθῶν.* In ejus libellis eſſe nonnulla quæ limare oportuit, dudum deprehendi: multa quæ ſapiant novitatem, & rem magis intricent, incendantque lites, non amputent: ubique quærit negotium. Communicatam carni Chriſti infinitatem dicit alicubi; ſed quoad poſſeſſionem, non quoad uſurpationem, ut omnipotentiam. Scio, quid alii de mediata & immediata communicatione differant. **Von dieſer Kunſt (dieſer Diſtinction) wiſſe gleichwol Gottes Wort nichts** ait magnus Theologus veteranus: & mox eam refert **unter andere wunderliche Menſchenfündlin.** tales in Theologiam plures invectas eſſe à Doctoribus modernis ad ſalvandos conceptus ſuos, & obtrudi Eccleſiis tanquam fidei articulos tenendos, intentata etiam iis qui prorſus adſentiri cunctantur, hæreſeos, minimùm ſchiſmatis, dica, notorium eſt. Unitatem eſſentiæ divinæ non eſſe naturali diſcurſu inveſtigabilem, ſed è ſola divina revelatione cognoſcibilem, probat è v. 17. c. 16. Matthæi, cum tamen ibi non de ea, ſed de perſona Filii ſermo ſit. Hoc habet ferè proprium, quod neminem nominat, niſi quem caſtigaturus eſt, & cujus ignominia inclareſcere poſſe putat.

tat: Illiberales verò jocos, quibus contra Hagerum diſputans theatrum incendit, quis ferat ſine ſtomacho in Theologo? Levioribus ejus παρεργήμασι accenſeas etiam hoc, quod nunc ſuccurrit; reliqua, ἃ καὶ ἱλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι, ἐν ἀφανεῖ κείσθω; à verbo Paulino ὑπεραίρεσθαι format ſubſtantivum ὑπεραίρεσις; quod vel pueri exibilent. Fit ſcilicet plurimùm, ut, qui fiduciam habent conſummatæ ſcientiæ, & grandia omnia minantur, cum faſtigium ſe jam tenere putant, deficiant, patianturque, quod ſimia, *la quale quanto più va in alto, tanto più moſtra le ſue vergogne.*

Inſcriptiones, quas quaſi bis mille collegi, digeſſi in claſſes; commentarii etiam maximam partem abſolvi: de editione verò lenta ſpes eſt, & niſi Mæcenas adparuerit, decollabit. Idem fatum πραγματείας περὶ τῶν ἱστορικῶν ἐν Ἑλλάδι. Langermannus, cui γεῦμα Commentarii ad Inſcriptiones obtuli, ob vaſtitatem operis, quam concepit, dubitat, num adfecta hac ætate conficere poſſim. Ὃ φίλον τῷ Θεῷ, τοῦτο γενέσθω. Ego ab ingrato & maligno ſeculo nihil expecto, nec in vita hac quidquã felicitatis; ſed æquiore tamen animo exiturus ſum, ſi videro, redire veterem candorem, fidem, & virtutem Germanis; inter literatos verò ſopitis animorum motibus, caſtigatis adfectibus, inſanâ dominandi libidine repreſsâ, & pravâ agendi ſtatus ratione, quam vocat Vir doctus, publico inimicâ, privatis cujuſque rebus & deſideriis accommodâ, plena ſuperbia, invidia, æmulatione, arrogantia, vecordia, injuria, obtrectatione, calumnia, jurgio, cæteriſque malis, adornata in diverſos vultus ſpecie, vafrè diſſimulatis, ominoſa regno literario & totius orbis Chriſtiani ſocietati αὐτοτεχνήσει per bonæ piæque mentis artes expulsâ, ſanciri denuo, urgente nos Fato undique, amicam, Deo gratam, condeſcenſionem, & ad ejus unius gloriam undiquaque conſpirari. Sed fortaſſis etiam votum hoc meum aliò rapient, ſi reſciverint, Zelotæ, quibus animo ſedet eſſe irreconciliabiles & habitare ſolos. Cl. D. D. Majorem meis verbis reverenter ſalutes velim; & ſignifices, ſi fortè nondum reſcivit, locum Irenæi lib. 2. c. 41. de quo aliquando nobis amica collatio, etiam à Walthero in Quadrag. Miſc. Theol. num. XII. p. 462. tentari. Expectabam à Viro, qui ubique Ebraiſmum oſtentat, ut daret è penu quod nodum ſolveret. Sed relinquit lectorem ſub cultro: hoc tantùm egit, ut Fabricii ſive puerilis, ſive

 ſenilis

ſenilis alucinatio, quippe qui ῥῆσιν Irenæi prorſus non intellexit, in ſcena adpareret, quam latere ſatius erat. Θυννῶδες γάρ ἐϛι ϗ κομιδῆ παχὺ τȣ́τȣ ἐνθύμημα. Ridiculum ſe præbet Veſtras iſte, dum velut ſecretiùs inſultaret Helmſtadienſibus, quos odiſſe ſemel incepit, vel quòd, quos odiſſet, vero & uſitato nomine adpellare non ſuſtineret, & accuſare tamen conſtituiſſet tanquam faces belli contra Formularios, eos in epiſtola ad hactenus fratrem in Chriſto ἐπικεφαλαιοπολίτας nominat. Prodit enim ineptè excogitato cavillo, quam hoſpes ſit in hiſtoria Germaniæ, qui Helmſtadio à galea nomen contigiſſe, & quam infeliciter Græcas literas didicerit, qui ἐπικεφαλαίαν idem eſſe quod περικεφαλαίαν, putat. Sed fortaſſe huic doctori βαθυπώγωνι prępoſitiones ἐπὶ & περὶ εἰς ἕν εἰσι: de quo priùs cum Grammaticis tranſigendum ipſi eſt. Ad juniorem Hornejum ſcripſi nuperrime; argumentum epiſtolę erat locus Chryſoſtomi Homilia III εἰς τὸν Λάζαρον, de quo me rogaverat, quem adduxerat Parens Diſp. IIX. de ſacra Scriptura, §. 16. p. 865. itemque Rivetus Iſag. ad Script. Sacr. c. 22. §. 45. & Joh. Crocius Antibec. Contr. 1. Qu. 5. num. 9. ſed corruptum, &, antequam emendetur, à mente Scriptoris alienum. Interpretes ἀποϛόλȣς legerant pro αἰπόλȣς, & σωθῆναι pro συνθεῖναι: quos ſecurè ſecuti ſunt Viri ſummi. D. D. Hornejo tamen menda ſuboluit: ἠϛέρισε γὰρ τὸ ῥητὸν *Apoſtolos*. Sed nunc ἅλις λαλιᾶς. Vale, mi VORSTI, & me ama. Scr. Altenb. 10. Nov. anno 1648.

REINESIUS, D.

P. S. Dn. M. Friſchmuht præmiſſa amica ſalutatione, literas ad Volcamerum ut curet, ſummopere rogo.

EPISTOLA VIII.

S. P.

MI VORSTI, Verba Mornæi, quæ malè ſe habere putas, ſana ſunt. Audi verò: Honoratus ex Abbate Lerinenſi primò Epiſcopus Arelatenſis, ſucceſſor Patrocli, occiſi à tribuno circa annum Chriſti 427. Hujus Honorati vitam deſcripſit Hilarius,

arius, ſucceſſor, qui obiit anno Chr. 445. ſub Leone M. P. R. cathedram inſcendente Ravennio. Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis ſub Gelaſio P. R. qui incepit anno 492. deſcripſit vitam Hilarii, Epiſcopi Arelatenſis, nutritoris ſui, teſte Gennadio; niſi alius à Gennadio ejus de Honorato Maſſilienſi narrationis autor eſt, ut viſum Suffrido Petri. Cum Mornæi librum legis, ſuadeo ut adhibeas examen ejus à Gretſero inſtitutum. Is monet nonnulla haud protrita, etiamſi ſubinde, ſolens nimirum more ſuo, cavilletur. Nihil eſt ex omni parte beatum. Quare *μέμνασο ἀπιςεῖν· ἄρθρα δὲ ταῦτα φρενῶν*. Saluta Friſchmuthum. Optimè vale & ſalve

à

REINESIO D. Altenb.
26. Jan. An. 1649.

EPISTOLA IX.

S. P.

MI cariſsime D. Vorſti, Nondum videre mihi licuit (neque expeto quidem) Lipſienſium contra Ἐπικεφαλαιοπολίτας (hoc enim doctè ſcilicet excogitato formatoque nomine mactare Helmſtadienſes placuit Veſtratibus) Diſputationem. Sertiant quicquid lubet *οἱ ὑπέρ ἔρχοι ἔμμεναι ἄλλων εὐχόμενοι*. Videor illud Peluſiotę Iſidori lib. IV. ep. 162. huic negotio adplicare, ejuſque verbis ſenſa animi mei exponere poſſe tandem: *Ἀγροίκου σοφία φιλονεικεῖν περὶ τῶν μηδεμίαν βλάβην τοῖς ἀκροαταῖς οἰσόντων. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ὑποκρίνωνται, καὶ δὴ ἐάσθωσαν.* *Ὀδυνᾶσαι* & *καυχᾶσαι* ſecundæ perſonæ indicativi præſentis Verbi Deponentis ſunt, non Paſſivi: & efferuntur ita ſecundum quoſdam Grammaticos Jonica dialecto: Camerarius metaphaſmo excuſat; pro *ὀδυνᾷ*, *καυχᾷ*, quod ultimum è Lycurgo rhetore habet Suidas. Similis modulus in barytonis Paſſivis & Deponentibus in eodem modo, tempore & perſona: *τύπτεσαι*, à quo Jonibus eliſo *σ*, *τύπτεαι*, & uſitatum *τύπτῃ*, prodiit: item in deſcendentibus à verbis in *μι*, *κάθῃ*, *ἐπίςῃ*, *δύνῃ* pro *κάθησαι*, *ἐπίςασαι*, *δύνα-*

δύνασαι: quæ quidem ita exoleverunt, ut tamen veteribus uſurpata fuerint. Heſychius δύνασαι σιωπᾷν è Lycurgo citat. Rectum igitur eſt utrumque, profanis quoque uſitatum, ὀδυνᾷ, καυχᾷ, & ὀδυνᾶσαι, καυχᾶσαι. Voſſii cenſuram de quibuſdam Clementis Romani rectè explodis ut futilem. Commentarium ad Joſephi Αρχαιολογίαν præter Petitum quod etiam Cunæus promiſit dudum eſt: R. verò Menaſſeh ben Iſraël continuationem hiſtoriæ Ebræorum poſt Joſephum; fidem autem ſuam nondum liberarunt. Bene vale, mi VORSTI, & ſalve

à

REINESIO, D. Altenb.
10. Febr. 1649.

EPISTOLA X.

S. P.

CArisſime VORSTI, Vulgato Interpreti Ep. ad Ebr. c. 13. & aliis veteribus, ſine jactura veritatis divinæ concedi, puto, poteſt, quod vocabulum *Merendi*, *Promerendi* & *Meriti* uſurparunt de eo quod eſt opus gratum & acceptum Deo facere, hoc eſt, pro quocunque pietatis officio. Hujus ἀκυρολογίας, alii κατάχρησιν adpellant, exempla habet Rivetus Cathol. Orthod. tr. 4. qv. 17. n. 3. multa etiam Mornæus l. 3. de S. Euchar. c. 21. p. 1345. quæ inde excerpſit Gerhardus t. 4. Loc. n. 124. p. 235. Cum autem mens eorum ſatis clara ſit, quòd nimirum per *mereri* conſecutionem ſeu adeptionem de facto, quo ſenſu etiam Auguſtana Confeſſio art. XX. novam obedientiam mereri præmia dicit; & *meritum* de quovis dono gratis accepto intellexerint, ut *promereri Deum* ſit opus Deo gratum, bene placens, facere: ſeculo eorum & loquendi conſuetudini omnino concedendum id eſt, non odiosè exagitandum, quòd locuti fuerint incautiùs: multò minùs referendum inter heterodoxa. Pontificiis autem minimè omnium indulgendum eſt, ſi phraſin laxiùs ſonantem ſuo de operum merito dogmati præſtruūnt; hoc enim eſt depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam veterum ſcripta trahere repugnantia, ut utar verbis D. Hieronymi:

ronymi: idque meritò reprehendunt Noſtrates. Senſum igitur Apoſtoli potiùs quàm verba reddidiſſe Vulgatum, manifeſtisſimum eſt. Cum enim deberet, *Ejuſmodi hoſtiis adquieſcit Deus; ejusmodi hoſtias gratas habet Deus*; vel, ſi quis hypallagen eſſe velit, quæ & ipſa Scriptoribus ſacris familiaris eſt, τοιαῦται θυσίαι εὐαρεστοῦνται (verbo medio) τῷ Θεῷ, permutatis ſubjecti & prædicati caſibus, *Ejusmodi victimæ placent Deo*, propoſitione ἰσοδυναμούσῃ, licet quoad verba aliâ, *Iſtiusmodi hoſtiis res grata Deo fit*, vel, *Ejusmodi hoſtiis delectatur Deus*, quo nihil verius, reddidit. Wittebergenſis Anti Hagerus Diſp. XI. qv. 3. n. 2. dum Vulgato inſcitiam exprobrat, prodit ſuam. Ecquid enim εὐαρεσθῆναι, quod eadem pagina bis repetit, ut de typorum vitio ſuſpicari non poſſis, pro εὐαρεστεῖσθαι? Deinde probaturus εὐαρεστεῖσθαι idem eſſe cum activo (neutro dicendum potius erat) εὐαρεστεῖν, in caſu quo regitur hoc cap. XI. v. 5. & 6. ejuſdem epiſtolæ, tertio, argumentatur: *Quòd*, inquiens, *τῷ εὐαρεστεῖν jungitur caſus tertius, idemque etiam τῷ εὐαρεστεῖσθαι c. 13. ſequitur hoc idem ſignificare quod illud.* Atqui illud regitur à caſu tertio perſonam, hoc à caſu tertio rem inſinuante: quæ variatio differentiam Propoſitionū & ſignificationis verborum εὐαρεστεῖν & εὐαρεστεῖσθαι, iis quidem locis, importat. Cæterum nemo niſi planè in Græcis literis hoſpes negaverit, verba εὐαρεστεῖν & εὐαρεστεῖσθαι eadem ſignificatione interdum, caſu tertio conſtructa, uſurpari: (apud Plutarchum habes εὐαρεστεῖν τῇ διαγωγῇ, *inſtituto, vitæ genere adquieſcere, iſtud probare*: apud Laërtium, εὐαρεστούμενοι τῇ διατριβῇ *converſationem probans, non faſtidiens, contentus ſchola*: uti & contrarium δυσαρεστεῖν & δυσαρεστεῖσθαι. Δυσαρεστήσαντες τοῖς παισὶ *cum eſſent infenſo animo erga liberos*: & δυσηρεστοῦντο τοῖς πραττομένοις *diſplicebant ipſis facta*, apud Polybium. Apud Suidam anonymus: Οἱ Ῥωμαῖοι ἔφασαν τὴν σύγκλητον δυσαρεστεῖσθαι τῇ τειχῶν καθαιρέσει *diſplicere ſenatui murorum demolitionem*) id verò nihil ad ſacrum ſcriptorem locis allegatis, cum εὐαρεστεῖν cum caſu tertio prędicati perſonam inferentis (ponitur tum etiam abſolutè) eſt *placere, gratum eſſe alicui*, verbo intranſitivo; εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ· Sic etiam Gen. 5, 22. & 24: 6, 9: 39, 4: 48, 15: Pſ. 34, 17: εὐαρεστεῖσθαι cum caſu tertio prædicati rem inſinu-

 antis,

antis, *gratum habere aliquid, delectari aliquo, contentum eſſe aliquo*: quæ locutio profanis ſcriptoribus familiaris eſt; illa minùs, & propterea fortaſſe propria ſacrorum. Cl. Rangolius Comm. ad c. 23. v. 6. I. Regum, verſionem Bezæ, quem propterea quòd odio bonorum operum Vulgatam rejeciſſet, nebulonís convitio verberat, damnat: Etſi enim, inquiens, verum ſit Deum delectari bonis operibus: tamen ea non eſt Verbi emphaſis, vel uno Xenophonte teſte, qui dixit, ἱεροῖς Θεὺς ἀρέσκεσθαι *ſacrificiis Deos placari.* At gramias hic paſſus eſt monachus, qui τὸ εὐαρεστεῖσθαι & ἀρέσκεσθαι, & ſignificatione & conſtructione differentes voces, habuit pro una, &, cum de illa quæſtio eſſet, hujus dedit exemplum. Quid quod ῥῆσις adducta, quia imperfecta, ambigua eſt, in eaque τὸ ἀρέσκεσθαι non minùs media ſignificatione pro *Deos ſacrificiis adtendere, gaudere, adquieſcere,* quam paſſiva, quam ipſe elegit, poſitum intelligi commodè poſſit? Gerhardus tom. 4. n. 124. p. 235. exempla ejus quòd Interpretes antiqui Græcorum, Dionyſii, Macarii, verbo *mereri* ἀκύρως uſi ſint, è Mornæi l. 3. de S. Euch. c. 21. p. 1247, uti alia paſſim, deſcripſit, tacito autore. Quod autem ex Ignatii Epiſtola ad Romanos producit, in Græco eſſe τοῦ Θεοῦ καταλαβεῖν, fallitur: hoc enim ibi non legitur, ſed τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν: quam vocem cum per *conſequi* deberet, Interpres vetus per *mereri* reddidit, conſuetudine ſui ſeculi: quod ſi adtendiſſet Vedelius, mitiùs de eo ſenſiſſet, eumque excuſaſſet potiùs, quam inepti & inſulſi adpellatione traduxiſſet Exercitationis in eam ep. cap. 3. Bellarminum autem, qui ea verſione ſuum de meritis bonorum operum dogma ſtabilire ſategit, rectè refutat, quia ea ſignificatione voculam *promereri* non adhibuit Interpres, qua ipſe adhibuiſſe putat; ſed ea tantùm conſecutionem de facto intellexit. De Caſaubono immeritò miraris ſuper etymo vocis μυστήριον· nec enim inſolens vocem unam è diverſis linguis derivare, optione relicta lectori, quid amplecti velit. Ego è Græco ſive μύειν ſive μυεῖν (non enim hic argutari nimis oportet) auſim. In Beroſi teſtimonio apud Joſephum multa ſunt, fateor, quæ lectorem remorantur: ſed pleraque removit Scaliger Notis ad fragmenta veterum Græcorum ſelecta: conferre quoque Euſebium l. IX. προπαρασκ. c. 40. proderit; item adire Rainoldum prælect. de libb. apocr. 70. Salmaſius etiam in Plinianis Exercit.

f. 1228.

f. 1228. aliquid contulit. Si poſt lectos iſtos porrò quoque hæſeris, tum me advocare poteris. Verba Hieronymi de Jacobo Apoſtolo, etſi ejus rei teſtem quoque citet Joſephum, è Clementis hypotyp. l. 7. deſumta ſunt: quod evidentisſimum fiet ῥῆσιν Hieronymi conſideranti: fruſtra igitur tricaris ea hodie aliter legi in Joſepho. De libris ὑποτυπώσεων Clementis falluntur noſtrates (Strauchius in Cenſura Conc. 2. Jubil. habitæ Ambergæ à Salmutho, & Gundiſius in quodam programmate) qui fuiſſe ſcripta catechetica, hoc eſt, principia ſeu rudimenta doctrinæ Chriſtianæ tradentia, adſerunt. Aliud de iis docent Euſebius l. 6. Π. E. c. 13. Photius Cod. 109. qui ipſos libros legerunt. Bene vale, mi VORSTI & ſalve

à

REINESIO, D. Altenb.
24. Febr. 1649.

EPISTOLA XI.

S. P.

MI cariſſime VORSTI, De loco Cypriani ep. 45. ad Cornelium Papam, quem Caſaubono quoque non vice ſimplici (minimùm ſexies) objecerat I. C. Bulengerus, idem quod Salmaſius, ante annos 30. reſpondit Jac. Capellus; nimirum Cyprianum comparare non Romanam Eccleſiam cum reliquis, ſed in Eccleſia Romana Novatiani factionem cum Cornelii communicatione; illam ſchiſmaticam vocare, hanc matricem & radicem ejus Eccleſiæ, quæ Romæ pro catholica & orthodoxa haberi debebat; ipſa verba Cypriani hoc velle: Ut Te univerſi collegæ noſtri & communicationem tuam, id eſt, Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & caritatem, probarent firmiter ac tenerent, hoc eſt, ut tibi potiùs, quàm Novatiano, cujus pars ſe à ſua matrice Eccleſia ſeparavit, adhærerent. Coturius Jeſuita Cypriani iſta nobis objicit demonſtratione I. c. 5: ſed Forerus, inſignis hamaxarius, in Confutatione libri P. Molinæi, cui nomen Novitas Papatus, non audet ſimiliter; fortaſſe pervidit, quid ſuis reſponderit Cappellus, & quam nihil ea cauſam ſuam juvare poſſint. Calixti Diatriben à Conringio, vel juniore Hornejo (Langermannus enim in pa-

triam

triam abiit morbi cauſa) expecto. Sum cum illis quibus placet, Trinitatis SS. myſterium ab initio fuiſſe revelatum, ſed obſcuriuſculè: non publicatum, ſed occultè inſpiratum, & figuris adumbratum, ut loquitur Lutherus Comment. in Pſ. 5. t. 2. Jen. Lat. inſinuatum magis à lege Moſaica, quam declaratum; umbris & figuris delineatum, ut ait Eraſmus: creditum etiam, ſed Patriarchis ſolùm & Prophetis, non omnibus omnino fidelibus; & neceſſariam igitur omnibus fidem SS. Trinitatis non fuiſſe; pervulgatam verò ejus notitiam reſervatam temporibus N. T. Waltherus in Spicil. Controv. de ſacris Dei nominibus XIII. & XXII. p. 372. ad oculum demonſtrare ſe putat, Judæis veteribus ante & poſt Chriſtum natum Trinitatis myſterium non fuiſſe incognitum: ſic & Stegmannus Photin. Diſp. 4. qv. 3. Ignatii epiſtolas cum Notis Iſ. Voſſii videre velim. Ejus judicio ſuper Clementis Romani iis, quæ mihi indicabas, oppoſui quod videbatur: mittoque Langermanno, ut è Suecia, quò nuper profectus eſt, redeunti Hamburgum tradat. Clariſſimos Sagittarium & Friſchmuthum meis verbis peramanter ſaluta, mi Vorſti. V. & S.

à

Tuo REINESIO, D. Altenb.
9. Mart. anno 1649.

Pagellas quas deficere in exemplo Variarum ajebas, accipis hac vice.

EPISTOLA XII.

S. P.

MI cariſſime VORSTI, Omnes tuas Jenæ ſcriptas rite mihi traditas fuiſſe noris; quòd autem ad ultimas nihil reſponderim, ideo factũ interpretari debuiſti, quòd nihil adeò eſſet quod tũ eſponderem, & quod urgerent me graviora alia expedienda. De שֵׁשַׁךְ non adſentiri poſſum Tibi, quod permutationem literarum in nominibus propriis perſonarum & locorum parum dignum Prophetis luſum eſſe putas. Ergone parum dignum, quo frequenter uſos fuiſſe Scriptores ſacros tot exemplis ad Te probaveram? Poteram addere etiam anagrammatiſmo uſum autorem ἐπιγραφῆς Pſ. IX. עַל־מוּת לַבֵּן, ubi

ubi Nabalem occultè elementis tranſpoſitis notavit. Sed fortaſſe autor iſtius inſcriptionis, quia ſcilicet luſit anagrammatiſmo, Tibi non eſt inter ſcriptores ſacros. Fecit tamen idem Spiritus S. in nomine חשים Gen. 46, 23. quod Num. 26, 42. effert שוחם. Viden quam imbellis ſit tua ratiuncula, & quam non ſemoverat ratiocinationem meam à conſuetudine ſacrorum ſcriptorum & Cabala petitam? Præterea cum te deficiat argumentum concludens, adluſiſſe Prophetam ad *Σάκαια* Babyloniis celebrata; ipſa etiam vox Seſach integra ſyllaba auctior ſit *τῇ Σάκαια*; Græcos autem decurtaſſe vocem Ebræam perinde dubium ſit, agnoſcere potes hic Te *ἐν σκότῳ ῥέμβεσθαι*. Imò cum à Sacis dicta *Σάκαια* theſ. 9. conceſſeris, omnino commentitium eſſe quod de Seſacæis poſt Caſaubonum doces th. 21, adparet; & ad ea, quia nulla talia fuerunt, reſpexiſſe Prophetam, temeraria adſertio eſt; ad quod Te imprimis animum advertere velim. Sacæ appellati fuere, quantum ſcimus, in omnibus lingvis; nunquam Seſacæ. Th. XXIX. ſequeris interpretem, qui in verbis Megaſthenis *προσήκοντά οἱ οὐδέν*, *ſibi inutilem* reddidit; malè: debebatis *nihil ad eum*, Laboroſoarchodum ſeu Laboroſoardochum, *attinentem, nullo jure ſangvinis ei conjunctum.* Laboroſoardochus eſt Labo-rezar-dach; idem Laboroſoarchodus Labo-rezar-chad; idem nomen cum Nebuchadnezaris. Iſtum facis Danielis Belſaſarem. Scio quibus autoribus, Sed ſi *ἀνδραγαθήματα* Belſaſaris à Daniele memorata adpendas ad res Laboroſoarchodi apud Beroſum, qui puerum ad regnum admotum fuiſſe ſcribit, non huic, ſed Evilmerodacho iſta convenire deprehendes. De Nabonnidocho Megaſthenis, Nabonnedo Beroſi, igitur ſimiliter falleris, quod Darium Medum Danielis cap. 5. eſſe putas. Hic enim Nergal-letzar. Darius autem è ſemine Medorum Dan. 9. Nabonnidus: omninoque adſerendum eſt duos Darios a Daniela memorari: alterum Medum, Nebuchadnezaris generum, qui & Nergal-letzar, *Νηριγλίσαρ*, addita terminata Græca *Νηριγλισάρης*: alterum è Medis oriundum, natum tamen Babylone, juxta Beroſum; neque permittunt aliter ſentire *ῥήσεις* Prophetæ c. 5. & 9, 1. quod à nemine video animadverſum. Omnes poſtquam Belſaſarem vel Evilmerodachi fratrem, vel nepotem è ſorore conſtituerunt, Darium Medum, cap. 5. & 6. cum Dario è ſemine Medorum eundum fecerunt. Solus

Chronici Alexandrini autor duos Darios Belſaſaris ſucceſſores agnoſcit immediatos. Juxta meam igitur hanc ſententiam omiſerit Daniel, uti & Canon Mathematicus apud Ptolemæum, Laboroſoarchodum, qui ſolus poſt patrem novem tantùm menſes regnavit; quo tempore nihil contigerat quod ad Judæos confirmandos facere adeò poſſet; ea verò tantùm annotare Propheta voluit quæ Judæis in captivitate conſtitutis ad computandum liberationis poſt annos LXX. futuræ tempus inſervirent. Theſ. XXIV. & XVII. poſterioris Exercitationis, duos annos Evilmerodacho tribuis; ita nimirum Beroſus. Sed noveris corruptam eſſe in fragmento Beroſi apud Joſephum, uti aliàs ſæpiſſime, literam numeralẽ, & pro β ponendam ε. Certè Belſaſaris, qui Evilmerodach mihi, tertium annum nominat Daniel c. 8. & Chronicon mſcr. Græcum Γεωργίȣ τȣ͂ ἁμαρτωλȣ͂, Συγκέλλȣ, quod Langermannus à me commodatum ſecum adhuc retinet, quinque ei adſignat. Quomodo verò quinque annos, qui ad implendum LXX. captivitatis numerum calculo tum neceſſarii ſunt, inter Evilmerodachum & Laboroſoarchodum æqualiter diſtribuere poſſis, cum Laboroſoarchodum novem tantùm menſes regnaſſe ſcias è Beroſo, eoſque annis quatuor Nergallezaris accenſeri tradas th. XXV, non capio. Me Teque expedies, puto, ſi diſpunxeris alternativam, *Vel ſi id non placet:* aliud remedium nunc quidem non ſuccurrit. Ναβοάνδηλος pro Ναβονίδοχος apud Joſephum à librariis eſt, quibus in proclivi fuit αν pro νι & ηλ pro οχ ſcribere. Theologorum lis quorſum evaſura ſit, anxii expectamus. Οἱ ἀρχαιρεσιωτικοὶ minantur ſynodum, & ex ea anathematiſmos. Lacerabitur ejuſmodi dictatura, quantum video, Eccleſia; & intemperie hominum ſacrorum, nihil moderati admittentium, σφαδαζόντων, ὡς πῶλοι, ἐυφορβία, ϗ ἄνω κάτω, in hoc tantùm, nequid cuiquam concedant, & ut ſoli ſapere judicentur, ῥεμβομένων, concordia peribit. Scharffius haud raro Stumpfius eſſe ſolet; ita malam cauſam perperam agendo reddit pejorem. Miror ingenium hominis βαρβαραλάζοντος; ita nimirum ſibi placet in ſuis barbariſmis & ſolœciſmis, ut ſatyrico ſale publicè propterea defrictus, pergat nihilominus eadem oberrare chorda. In Diſputatione enim trium Quæſtionum quodlibetariarum, quam menſe Auguſto, reſpondente quodam Martino Gebhardo, Marchico, habuit, dedita

dita quaſi opera ſeminat bacchantiſmos μυελομεγάλους, ut vel unam ſaltem pagellam legenti nauſeam cieat. Fortaſſis hac via ad famam graſſari inſtituit; ſed illam Virorum obſcurorum. Libellos, quorum ad me mentionem facis, pleroſque habemus hic; præterquam Grotii & Gatakeri ſcripta; quæ ſi te parario à veſtratium bibliopolarum quodam nanciſcerer, immane quantum me beares. Occaſionem ulterius in Academiis vivendi Tibi offerri gratulor; ad eamque ἀμφοῖν arripiendam omnino autor ſum. ſentio enim optimis tuis ſtudiis luculentiſſimam acceſſionem ſic futuram. Si Roſtochii victurus es, potero opera tua in expediendis rationibus, quas cum CC. VV. Bangio & Ernſtio, illo Havnienſi, hoc Sorano Profeſſore Regio, habiturus ſum, uti; quam & à tua prothymia certò mihi ſpondeo. CC. VV. Jungium & Taſſium meis verbis peramanter ſalutabis. nuper mecũ fuit diſcipulus ipſorum emendatiſſimus & egregiarum minarum juvenis Eſdras Ezardi. Is amorem & admirationem Virorum doctiſſimorum in me excitavit veris ſuis præconiis. Optimè vale, mi optime VORSTI, & ſalve. Altenb. Non. Oct. anno 1649.

Amantiſſimus Tui
REINESIUS, D. archiater
Saxon. Altenb.

P. S. Langermannum, ſi ad vos rediit ex acidulis, amiciſſimè meo nomine ſaluta, & mone, Volumen Græcum Chronicum Mſcr. quo fere per biennium uſus eſt, & quod remiſſurum ad me eſſe ſanctè recepit, faciat tandem ad me redire. Ægerrimè enim ſcripto nondum, quod ſciam, edito careo. Fortaſſis apud Parentem ſuum id depoſuit; inquire igitur, quæſo, & me hac cura libera.

EPISTOLA XIII.

Salutem & amorem.

CArisſime VORSTI, Μὴ κλαῖε, καὶ λήψῃ. Quid iſta ſubiit animum tuum de mutato erga te meo cogitatio? Injuriam mihi facis, qui quod maximè proprium habeo, ſanctè colere amicitias & conſtanter, à me removere non dubitas. Γνήσιός εἰμι φίλος,

& amo eos quoque quos è clientibus & amicis, ſed fucatis, apertè inimicos mihi gratis, quæ ſeculi improbitas eſt, factos ſubinde experior. Multa præ manibus ſunt quibus torporem meum (ita ſanè videtur tibi) excuſem: verùm ſuccurrent ea Tibi, ſi bene perpenderis, ut fruſtra ſim enarrandis. Saltem cogita non fuiſſe, quod ad Te perſcriberem; & ponet iſte æſtus, quo Teipſum adflixiſti. Conditionem tibi oblatam gratulor. De me ſi quæris, reſponſum accipe ex adjecta huic epiſtolæ apologia, quam quantum unquàm fuit impudentisſimi ſcurræ veſaniam mihi extorſiſſe cognoſces. Pro ea quæro nunc typographum; ſed videbis nonnullibi temperatam, auctam tamen locis quamplurimis, & ita adparatam, ut poſt accuratè defenſa mea (neque enim vel unico loco me rectè reprehendere valuit ineptus Cenſor) nonaginta novem petulantis conviciatoris errores demonſtrentur πάρεργον ὁδϖ. Certè ſumma rei indignitas tantum literarum tædium mihi conciliavit, ut de iis nullam ferè ſeriam cogitationem de cætero ſuſcipere poſſim. Barbaras iſtas calumnias impune hactenus tulit θρέμμα Ἐριννύων, & liberè vagari permiſſę ſunt chartæ iſtæ maledicæ: unde lubentibus ſuperioribus ſuis, de quibus tamen nihil unquam malè meritus ſum Ego, deſignaſſe id facinoris, nemo non animadvertit. Ita obdormivit Carolina Nemeſis, & ſceleribus delectantur, patrocinanturque, qui coërcere ea debebant. Odia τῶν ἀρχαιρεσιωτικῶν adverſus Helmſtadienſes gliſcunt indies; eoque res evaſit ut Edicto Electoris præfixus dies jam fuerit Doctorum Theologiæ Miſnicæ conventui Lipſiæ. Verùm is jam altera vice diffiſſus eſt; fortasſis tertia quoque fient ὑπερήμεροι. Finis ejus dicitur eſſe Helmſtadienſes convincere prævaricationum contra libros Symbolicos, novationum heterodoxarum, turbatæ Eccleſiæ Lutheranæ; & hinc ποιεῖν ἀποσυναγώγϖς. Dies docebit. Heros, quem vocant adulatores inepti, è Pruſſia etiam Majorem noſtrum adſultavit eò quòd in de adparitionibus τϖ Λόγϖ in V. T. cum Calixto ſentire videretur; & paratus erat noſter cum armis decretoriis, amoliendæ imputationis iniquæ cauſa, in campum procedere; ſed privatim lis compoſita eſt, vel, uti mihi videtur, tantiſper ſuſpenſa, dum erumpat furioſiùs. Bocharti Phaleg delector quam maximè; utinam reliqua quoque ejus Viri, Paradiſum, de gemmis Scripturæ, de animalibus, habere liceat! A juniore Heinſio ex Italia ſalutatus ſum nuper, & beatus quibuſdam

buſdam Inſcriptionibus. Similes promiſit Iſ. Voſſius è ſcriniis ſuis in Suecia relictis. Siquas apud amicos videre tibi contigerit, eas in Auctarium meum vaſti operis Gruteri referendas exproceris, rogo. Catonis Diras ab Arnoldo curatas videre malim, quam audire. Eas, ſi commodum erit, cum tuis ponematiis ad me mitte; vel indica unde haberi poſſint. Dn. D. Reinbotho plurimam meis verbis ſalutem nunciari, & pro adfectu honorifico gratias agi velim. Bene vale, mi VORSTI, & ſalve

à ſtudioſiſſimo Tui
REINESIO, D. Altenb.
2. Oct. 1652.

EPISTOLA XIV.

S. Pl.

MI amiciſſime VORSTI, Conſtitutum jam habebam, quæ ſcurræ Lipſienſi oppoſueram, per patruelem meum M. Heinricum, Paſtorem in Salinis majoribus Magdeburgicis primarium, Helmſtadienſi typographo excudenda dare; ſed cum Tu offerres conditionem aliam, eoque in negotio fidem operamque tuam maximo fore uſui mihi perſpicerem Ipſe, placuit mutare conſilium. Saltem hoc velim præterea, ut manus admoveatur operi quamprimum, néve ſine cenſura imprimatur; & ut hujus in frontiſpicio fiat mentio. Addo etiam quędam Typographum concernentia, & ſpero diligentiam Eum ſuam mihi probaturum. Literæ quibus tua πονημάτια excuderunt, ſatis elegantes ſunt, acceduntque quam proximè ad eas quibus Varias expreſſas vides. Accipis etiam ultimæ paginæ adpactos, quibus Typographum conducere poſſis, undecim florenos Rhenanos & quadrantem Joachimici, hoc eſt, ſedecim florenos Miſnicos in ſeptendecim quaterniones. Quicquid ſuper eam pecuniolam erogandum venerit, optima fide ad Ilgenium à me curabitur, quamprimum indicaveris. Exemplarium centum, ſumtu pariter meo, certo latore, ad eundem diriges; à quo ſuo tempore repetam. Si γεῦμα quoddam opuſculi in uno alteróve quaternione mittere poteris antè quàm totum abſolvatur, erit quàm gratiſſimum. In manu Typographi eſto, quot exemplis Apologiam

giam hanc meam exire in publicum voluerit. Variarum mille & quingenta prodiere; & vix triginta penes me ſuperſunt. Περὶ ξένως εἰρημένων à Scriptoribus N. T. Græcis, quæ obſervaſſe videri volunt docti, ita ſemper judicavi, periculoſum eſſe & planè difficile, poſt tot ſeculorum decurſu introductum tantum linguarum chaos, tot deperditis ſive lingvis, ſive dialectis earum, de quovis N. T. ſive vocabulo ſive loquendi modo, certò & ſine oppoſiti formidine pronunciare, an propria lingvæ Grecæ, an ex Orientalibus deſumta, & ad earum genium formata ſint. Eſt etiam omnium linguarum tamen communis aliqua ratio, qua fit ut una cum altera, etſi diverſisſima, variè convenire, & plurimum in iis συγκυριῶν eſſe neceſſe ſit, & ſciri nunc nequeat, quæ à qua, quando, quomodo exierit. Quod enim de Latina, totam ferè Græcam eſſe, notarunt Veteres quoque, certum id eſt; de reliquis, præſertim popularibus, per totum orbem hodie ſparſis, quam quæque matrem proximam agnoſcat & referat, eſt niſi quoad admodum pauca imperveſtigabile. Quando vocabula, phraſes, ſyntaxin & alia in diverſis linguis eadem reperis, ecquam dices primam tradidiſſe reliquis? A primis incunabulis ſuus cuique genius obtigit, quo differt ab aliis, & quæque tamen cum altera in quamplurimis conſentit; ut à convenientia particulari ad συγγένειαν & identitatem firmiter concludi nequeat. Proponam aliquod ſimile è τόπῳ πρακτικῷ. Parallela ſacris apud profanos ſcriptores extant quamplurima: talia quæ Orpheus, Homerus, Linus, Solon, Pythagoras, Plato, Theocritus, Philoſophi, Poëtæ, Rhetores, è Moſe, Davide, Salomone, Prophetis hauſerint, collegit Juſtinus in παραινετ. Clemens Alex. V. Strom. Euſebius XII. προπαρασκ. Εὐ. Recentiores ſimiliter, H. Stephanus Pręfat. ſuper Expoſit. Eccl. Pſalmorum compilata ab Auguſt. Marlorato: Ebraiſmos Homericos & Heſiodeos Jac. Cappellus lib. 4. Vindic. Caſauboni c. 11. & ſeqq. Idem feciſſe profitetur Heinſius epiſt. ad diſſertat. Balſaci p. 232. Et nimios tamen eſſe veteres Chriſtianos Scriptores in hoc, ut oſtendant, Gentiles ſua è ſacris deſumſiſſe, verè queritur Boxhornius Quæſt. Rom. 3. Eſt enim revera ineptum omnia quorumcunque paganorum ad origines ſacras referre. Idem, mi VORSTI, de negotio noſtro habendum eſt. Etſi Ebræinam omnium matrem credamus, habent tamen reliquæ ex illa mixtione ſui varia & inenarrabili, quibus ab ea differunt & quæ ex Oriente

riente

riente non attulerunt. Sic lingua N. T. etſi cum Ebraiſmis, Syriaſmis, Chaldaiſmis incedat, Græca tamen eſt, ejuſque pars minima ad Ebraiſmos, Syriaſmos, Chaldaiſmos reduci poteſt. Circa formulam loquendi ἀπὸ μιᾶς Luc. 14. 18. malè ſategit Fullerus, ut Syrorum eſſe oſtenderet. Integræ phraſeos exemplum eſt in hiſce Dionis l. 58. verbis, ubi de Senatoribus, cum Sejanus ad epiſtolam Tiberii comprehendendus eſſet: Πάντες ἀπὸ μιᾶς γλώσσης καὶ κατεβόουν αὐτῷ καὶ δεινὰ ἐπέλεγον. Eadem ἐλλιπής apud Lucam. Familiare Latinis, Græcis, imò Germanis quoque, ex Adjectivis poſitis rem de qua agitur ſatis intelligi. Τὸ ἐνωτίζεσθαι pro δέχεσθαι ἐν ὠτίοις novè formaſſe τοὺς ό ex Ebr. האזין, non videris rectè negare. Etſi enim idem adhibeant, ubi tamen in Ebræo aliud Verbum, nimirum יחל, vel קשב: hoc tamen non infert, quò minus ex illo, & ad illud, formaſſe dici poſſint. Formarunt igitur è τοῦ האזין: ſed verba æquipollentia alia eodem quoque exprimere ipſis placuit; nec hoc abſurdum haberi debet. Cæterum utitur τοῦ ἐνωτίζεσθαι Gregorius Naz. I. στηλιτευτ. & Joſephus Geneſius, ſcriptor ſeculi decimi, qui res Imperatorum Conſtantinopolitanorum à Leone Armeno uſque ad exceſſum Baſilii Macedonis, juſſu Imperatoris Conſtantini Porphyrogenn. Leonis Philoſophi dicti filii, in literas retulit libris quinque. Iſte verò lib. I. ſic: Ὁ δὲ βασιλεὺς τούτων ἐνωτισθεὶς: niſi legendum περὶ τούτων. Eſt enim λέξις παράλληλος iſti ſacræ, περὶ ὧν κατηχήθης. Activè jacens ἐνωτίζειν exponitur apud Heſychium & Suidam τὰ ὦτα περισκεπάζειν. Cum νομοφύλακες verè Græcum ſit, erit & tàle τὸ νόμους φυλάττειν. At νόμον φυλάττειν & τηρεῖν tantùm ſacra lexis eſt. Qui νομοτηρητὴν dixerit, ut τοποτηρητὴν, non memini. Τηρεῖν τὸ τοῦ στρατιώτου pro *obſervare munus militis, implere partes militis & regulas*, dixit Arrianus Epictet. l. 3. c. 24. Σαπρὸν οἱ πολλοὶ ἀντὶ τοῦ αἰσχρὸν, inquit Phrynichus: apud veteres ἐπὶ τοῦ παλαιοῦ καὶ σεσηπότος κεῖσθαι. Quod Nunneſius ibi annotat, Suidam tradere, quod σαπρὸν non dicatur in re mala nec turpi, errat. Hoc enim vult ὁ Λεξικὸς, Eupolin uſurpare σαπρὸν non pro μοχθηρῷ ἢ αἰσχρῷ, ſed pro παλαιῷ: Sic Ariſtophanem & Simonidem. Non enim ignorare potuit Suidas ſignificationẽ voculæ in epiſtolis Paulinis,

& quod

& quod Chryſoſtomus Commentario in Ep. ad Tim. habet: Πᾶν ὃ μὴ τὴν ἰδίαν χρείαν πληροῖ, σαπρὸν λέγομεν. Lucianus quidem in Paras. σαπρὸν ἀποφθέγγεσθαι dixit: ſed videri poteſt jocatus eſſe, & adfectaſſe, uti ſolet, barbaram, inuſitatam & ἀνάττικην λέξιν. כלי Ebræorum exprimitur per σκεύη; modò per ὅπλα, Rom. 6.13: modò per κόσμος Eſ. 61, 10. eaque ſignificatione jacet hoc in ep. Jac. 3, 6: ubi lingua dicitur κόσμος τῆς ἀδικίας, id eſt, inſtrumentum mendacii, fraudum, perjurii, calumniarum. Ἀδικία שֶׁקֶר, mendacium, Rom. I, 18. ut אמת δικαιοσύνη idem quod ἀλήθεια. Hic verus intellectus eſt ῥήσεως Jacobeæ & Paulinæ. Iſidorus Peluſ. l. 4. ep. 10. exponit, linguam eſſe καλλώπισμα, fucum, exornatricem iniquitatis, dum eam excuſat exornatque: ſed malim ſequi quod prius dicebam. De locutione εὐσχήμων βουλευτὴς apud Marcum, & γυναῖκες εὐσχήμονες in Actis Apoſtolorum, etiam quæri poteſt, an verè Græca ſit, ſi per eam honoratos, inſignes, nobiles, illuſtres, intelligamus. Syrus qui reddidit *divites* in Actis, vel legiſſe videri poſſit εὐκτήμονες; vel ſignificationem voculæ à vulgo imperito impoſitam (docet enim Phrynichus, eam τοὺς ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ πλουσίου καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος τάττειν) ſecutus eſſe. Pro nobili autem non legi τὸ εὐσχήμων, non concedam Cl. Dieu. Εὐσχήμων, εὔσχημος eſt εὔσημος, ἐπίσημος. Σχῆμα eſt σῆμα, σημεῖον, σημαία, hoc eſt, inſigne nobilitatis, quo quæque familia & gentiles noti ſunt. Et ob unius igitur Atticiſtæ Grammatici judicium, vocabulum εὐσχήμων, qua nobilem, illuſtrem, ſignificat, non habebo pro ἀδοκίμῳ, multò minùs ſacrum ſcriptorem propterea reprehendam; ſed verè Græcis annumero. Suſpecta Latinitas tua noſtris Philologis perplacet; excitaſtique æmulos elegantis ſtudii, qui plura tuis inædificabunt. Συμφέρετε πτερὰ οἰωνοὶ, αὔθητε μέλισσαι. Ad eam referri quoq; poſſe videbatur uſus verbi *remittere*, quod noſtratibus eſt reſolvere, zerlaſſen: cum de concretis frigore, glacie, gummatibus, ſevo, pinguedinibus, ad ignem redditis fluidis, dicunt, ea remitti. Et utitur eo ſenſu Virgilius 4. Georg. *mella calor liquefacta remittit.* Sextus Placitus lib. I. de med. ex animal. c. 31. *Adeps vulpis remiſſus & inſtillatus aurium dolorem ſanat:* cap. 10. *adeps leonis remiſſus:* lib. 2. c. 4. *adeps*

gruis

gruis cum anſerino remiſſus. Serenus Sammon. cap. de faucium morbis, *Ceræ remiſſæ.* Palladius l. 1. c. 41. *Ammoniacum ſuper ignem remiſſum.* Plinius Valerianus l. 1. c. 5. & 9. l. 3. c. 36. *Gluten tauri remiſſum, ſicut ſolet à fabris remitti.* Grotium qui τὸ ἀπροσωπολήπτως apud Clementem Rom. reperiſſe dicit, defecit memoria, puto. extat enim 1. Pet. 1, 17. Ἀλλ' ἐκτρέπῃς ἤδη ἅλις. Vale, mi cariſsime VORSTI, & rem bene gere. Scripſi Altenb. XII. Jan. anno 1653.

Tuus ex animo

REINESIUS, D.

EPISTOLA XV.

CLariſſime VORSTI, Eadem hora & accepi binas tuas, & reſpondeo; quòd nundinæ Lipſienſes finiant propediem. De Ebraiſmis, quos in ſtylo N. T. venaris, magnum quid eſt, & multæ cogitationis atque otii: quod nunc quidem mihi non ſuppetit. Ignoſce igitur ſi hic ero εἷς τῶν ἐμμενόντων μᾶλλον, ἢ τῶν ἀκριβούντων. Varronem *filium inconſtantiæ* dixiſſe pro homine inconſtante, Druſil (habet enim 4. Obſ. 2. & ſine mentione Varronis 1. Quæſt. Ebr. 79) & ſecuti eum Caſauboni Notis ad Matth. c. 23. τερθρεύδιον eſt, ſed futile. Hoc dicit Varro in Lege Mænia, apud Nonium in *Bivira*, & in fragmentis edit. Amſtelod. ann. 1623. p. 114. *Metamelos* (id eſt, pœnitentia) *inconſtantiæ filius me reprehendit*, qui enim inconſtantes ſunt, & in propoſito non permanent, eos ſequitur pœnitentia; Eos non pœnitet qui ſententiæ vel conſilio ſemel capto inhærent. Et ſic Varronem optimè expoſuit Victorius, cum docere vellet, conſueviſſe eum adpellare res inanimes rerum itidem inanimarum filios. Nihil hæc locutio facit ad Ebraiſmos, & periphraſes, quas facere τὸ בֵּן & בַּר annotant οἱ τεχνικοί. Ἀπολούμενος eſt *perdendus*, *perire dignus*; non, *perditus*: adparet ex adpoſito Adverbio κάκιστα: quis enim peſſimè perditus? Ἀπολοῦμαι *peribo, perdar.* Apologiam meam curabis ita, uti rogabam. Si noluere Veſtrates teſtari de conſenſu ſuo, neſcio quid mea referat; ſufficit, quem imprimis quærebam, permiſſus editionis. Quæ

 præ-

præterviderunt operæ & prætervíſuræ ſunt, ea in calce accudi facies. Vale, mi VORSTI, & ſalve.

ab amantiſſimo Tui,
REINESIO, D. Scr. Altenb.
14. Maji, 1653.

Gerdeſium ſalutari volo.

EPISTOLA XVI.

SAlve, mi amicisſime VORSTI. Epiſtolas tuas de quibuſdam Theologicis, quas Jena ad me dediſſes, ad plures dimanaſſe, maximè mirum id mihi accidit & incredibile. Deum teſtor, nemini homini quidquam tuorum apud me viſum lectumve fuiſſe hactenus. Quare noli porrò φαντασιοκοπεῖσθαι: & de iſto pax igitur. Exempla defenſionis meæ curabis ad Ilgenium. Præter miſſos nuper ſeptendecim florenos tres ſolvet (ſcribis enim proceſſuram ad viginti quaterniones) N. Braun, civis veſtras, frater D. Ludovici, concionatoris apud nos aulici, προκαταβλήματος vicem. Pro Inſcriptionibus, quarum ſpem mihi facis, & Viris magnis & Tibi me debere fateor; & ſolvam me hoc nexu, cum in publico ſpectabuntur. Gratisſimæ, inquam, erunt mihi, quotquot miſeris, ſi vel maximè jam antè eas habeam ſub clavibus (collegi enim quaſi ter mille) duntaxat veſtro nomine. Cl. Meibomii πονημάτια ſi miſeris, immane quantum me Tibi devinxeris. Video eum colere ſecretiores literas, eſſeque ἐ πολλοῦ δήμου ἕνα. Veterum Medicorum hiſtoriam poſt Brunfelſium, Champerium, Squarcialupum, Fuchſium, Caſtellanum, qui hoc ſeculo ſcripſit, & bibliothecarum med. compilatores, digerere & ipſe tentavi. Negligenter enim eam partem eruditionis tractarunt, quiqui manum admoverunt. E Celſi, Plinii, Galeni, Athenæi, Cœlii Aurel. Aëtii, Oribaſii ſcriptis multos erui nemini obſervatos. De Guarimponto Medico ſeculorum ſequiorum, circa quem multæ antiquariis tenebræ, quid monuerim, in Apologia mea legere potuiſti. Κοιμᾶσθαι pro mori non eſt novè uſurpatum, ut putas. Æſchylo enim in Εὐμενίσι mortui dicuntur εὕδοντες, Lycophroni autem ſepulcrum εὐναστήριον. Ἐλπίζειν ἐπί τινι inter Ebraiſmos numeras;

& th-

&tamen apud Ariſtidem λόγῳ ἐπικηδείῳ εἰς Ετωνέα reperi: Ἡ τὰ μέγιςα ἐπί σοι ἐλπίσασα πόλις. quanquam autem ibi διαλελυμμένως poni, hic cum Accuſativo rei, excipere posſis, repoſuero tum etiam, in phraſi ſacra per ellipſin caſum ſubintelligi. Bene vale, mi VORSTI, Scr. Altenb. XXVII. Jul. quo tuæ mihi traditæ, anno 1653.

Tui diligentisſimus

Th. REINESIUS, D.

EPISTOLA XVII.

SAlve, mi amiciſſime VORSTI. Tuum hoc beneficium eſt, geminum id quidem, ſatiſque luculentum, & quod Apologia mea lucem aſpicit publicam, ejuſque centum exempla ad me pervenerunt, & quòd amicitiis Virorum illuſtrium in Dania, Bartholini & Langii, mactus ſum Te parario; quas quanti faciam, dicere nihil attinet; habeo ſanè in magna felicitatis parte innotuiſſe iis qui de eruditione & virtute dudum Orbi Europæo. Gratisſimum mihi fuit inprimis, adeò promtos lubenteſque reperiſſe ἀφθόνως aperiendis theſauris ſuis & communicandis Inſcriptionibus; quarum pleraſque ab amicis hinc inde collectas poſſideo quidem, diverſitas tamen deſcriptorum, quorum unus altero ſagacior aptiorque ei rei, ad verum cujuſque ſenſum & primitivam lectionem dux mihi. Conſtabit etiam per candorem meum publicè, quis quam & qualem exhibuerit. Cl. Langio de jactura exquiſitisſimorum κειμηλίων condoleo; ſolatur me tamen quod è Bartholini cataclistis plures alias expectare jubeor; qua in re operam & fidem tuam, tuique cognati, mihi porrò quoque promitto. Mandaveram Braunio, civi Roſtochienſi, verbis fratris, concionatoris aulici apud nos, typographo Richelio tres florenos ut præterea ſolveret; quod niſi factum jam eſt, ſignifica modò, & exhibebo ſine mora florenos tres cum octo groſſis, quos reſtare ſolvendos ex ultimis tuis intelligo. Nolo officium Tibi eſſe damnoſum tuum. In Hollandia ſiquid vidiſti audiviſtive de literis noſtris hiſce, fac ut ſciam; ſpes nobis facta eſt de calentibus à prelo, vel tamen ſub eo gementibus, ſcriptis SalmasI de militia Romana, Box-

hornI de Gallis; VoſsI, Heinſii. Gronovium quin adieris Daventriæ, non dubito. Eſt enim ſumma & humanitate & doctrina, ingeniorum etiam ſcrutator pæne divinus, & communis Germanorum in iſtis locis ſuſceptor. Commendabam Viro nuper quendam Naumburgenſem domo Grævium, alumnum Muſarum Lipſienſium; eum, uti audio, fovet tenerrimè, & habet tanquam intimæ admiſſionis modò oſtenſum. Epiſtolas Profeſſorum Haynienſium, uti volebas, remitto. Vale, mi optime VORSTI, & ſalve

à

REINESIO, D. Altenb.

XIII. Oct. anno 1653.

EPISTOLA XVIII.

CLariſſime VORSTI, Ex ultimis tuis, quas menſe Novembri ſcripſeras, volupe mihi fuit intelligere, Te functionem à Flensburgenſibus oblatam tandem ſuſcepiſſe: in qua ut feliciter Tibi cedant omnia, Deum opt. max. quotidie pro Te interpello. Eſt, uti audio, functio ſatis honeſta, & viam Tibi ad majora capeſſenda monſtrare idonea. Pro inſcriptione ſepulcrali Græca, & altera de Aſclepiade, ago gratias: ſaltem non intelligere potui, ubi, in cujus Regis ad Imperatorem Turcicum Legati ædibus hæc legatur. Fortaſſis addere voluiſti, Pariſiis. Quos nomine meo typographo Roſtochienſi ſolviſti Imperiales tres, nunc tandem repræſento, moramque deprecor. De me, quid agam, ſi quæris, habeto me à ſereniſſima Principe, Duce Saxoniæ, Medicum lectum eſſe, & qui in aulis inſervire Viris tanto ſtudio fugiſſem hactenus, nunc Fœminæ famulari. Scilicet ſic Deus voluit. Ei, Te, Me, Nos, Vos, commendo. Optimè vale, mi optime VORSTI, & redama

Amantiſſimum Tui

REINESIUM, D. Scr. 6. Jan. anno 1654. Altenburgi.

EPISTOLA XIX.

CLariſſime VORSTI, Non utar adverſus Te excuſatione ſilentii aliquanti mei ideo quòd de candore tuo, nihil interpretante ſecius, ſatis mihi conſtet. Sæpius quidem Tibi & Cl. Langelotto,

to, quæ rogabatis, præſertim quæ περὶ ποιητικῆς deſiderabat Iſte, gratificari cogitavi; ſed interceſſere varia; & nunc, quando maximè velim, intercedunt porrò. Sepoſitas enim aliquò literas illas tuas, dum ſollicitè quæro, nuſpiam invenio. Pro Inſcriptionibus miſſis amo Te, & prædicabo publicè προθυμίαν tuam; expecto quoque, ſiquas præterea indagando ceperis. De Deo Moritasgo in Aleſiana miror æſtum eruditorum. Ficticius eſt iſte & larvatus, vel à marmorarii, vel à deſcriptoris manu. Me poſt nonnullam meditationem, ut confidenter legam, DEO. MARTI. AuGuStO. confirmant lapides cum iſta epigraphe in eadem Gallia Lugduni, Nemauſi, Genevæ, Divione, & apud Biturigas Cubos extantes, recenſiti à Grutero p. LVII. Hanc conjecturam doctis me perſuaſiſſe ſpero, & ex vitiosè ſive ſculptorum ſive deſcriptorum (potuit enim & marmorarius literas ſimiles I & T, item G & S trajiciendo, & deſcriptor non ſatis attentus uniendo quæ ſeparanda erant, peccaſſe; idque patebit ex accurata iterataque lapidis inſpectione, ad quam curioſa Gallorum elegantium ingenia, præſertim Illum, quem Cl. Lambecio communicaſſe ſcribis, invito) veſtigiis veram lectionem conſtituiſſe in commentariolo peculiari, quem brevi edet Amicus. A. G. S. O. pro AuGuStO natum eſt ex eo quadratariorum more, quo ſyllabarum capitales literas (interdum etiam finales vocum) pro ipſis ſyllabis ſculpere conſuevere. Sic in Hiſpal. 3. p. CCCLXXXVII. D. C. R. M. pro DeCuRionuM: alibi P. B. L. pro PuBLicè: P. T. R. Q. pro PosTeRisQue. Volebam his, ut comitatiores venirent, addere exempla Commentarioli ad marmor effoſſum ante paucos annos Auguſtæ Vindelicorum: ſed typographus rem moratur; habebis ea proximè. Bene vale, mi VORSTI, & ſalve

à

REINESIO. D. Altenb.
XV. Maji 1655.

NOTA.

De Inſcriptione lapidis in Aleſiana reperti uti in hac epiſtola ſuſpicatus eſt, ita & in epiſtola ad Rupertum, Profeſſorem Altorfinum, quæ eſt LXIIX earum quæ antehac editæ ſunt, ſuſpicatus fuerat. Cumque eam conjecturam propoſuiſſet, in calce epiſtolæ ſubjecerat tandem: Verùm nihildum adfirmo. *Poſt quæ verba lege voluit nonnulla quæ in calce totius illius epiſtolarum operis apparent, & δευτέρας Viri φροντίδας, eaſq; fortaſſis &* σοφω-

σωφωτῆρας, *prodere videntur. Illa autem ſic habent:* Hoc interea, quod affirmabo nunc, compertum bona ſcæva mihi. Exemplum inſcripti lapidis R. P. Ludov. Jacobus à S. Carolo, Cabilonenſis Burgundus, Ord. B. Virg. de Carmelo, ſcriptor edita Bibliotheca Pontificia celebris, an. 1653. incluſum literis ad Cl. V. Petrum Lambecium JC. Hamburgum miſerat: inde faciente Amico (J. V.) ad me pervenit, idque tale:

TI. CL. PROFESSUS. NIGER. OMNIBUS
HONORIBUS. APUD. AEDUOS. ET.
LINGONAS. FUNCTUS. DEO. MORITASGO
PORTICUM. TESTAMENTO. PONI
JUSSIT. SUO. NOMINE. ET. JULIAE
VIRGULINAE. UXORIS. ET. FILIARUM
CL. PROFESSAE. ET. JULIANAE. VIRGULAE.

Non dubito cum cura deſcriptum; nec igitur quacunque emendatione opus eſſe. Saltem de Deo Moritasgo quid habeamus? E Cæſaris Comm. V. de Bello Gall. c. 54. conſtat, ejus in Galliam adventu Moritasgum apud Senonas in autoritate fuiſſe, hujuſque majores in eoſdem regnum obtinuiſſe: Cavarinum ejus fratrem à Cæſare regem ibidem conſtitutum. Hinc cur ea pars Galliæ Deum fecerit Moritasgum, cujus notitiam etiam Romani homines, Claudiæ Juliæque gentis, translati in Gallias, uti alii Endovellici & Togotii Hiſpanorum Luſitanorumve localium Numinum, habere potuerint, ſatis manifeſtum eſt. Sive autem iſtum Cæſarianum, ſive alium ὁμώνυμον è majoribus ejus Senonum regibus antiquiorem à ſuis pro Deo habitum dixerimus, perinde eſt: eò tamen inclino, ut poſterius præferam; fueritque Cæſare Gallias adquirente divinitas Moritasgi & cultus, vetus apud Senonas religio, non eo primum tempore cœpta in memoriam meritorum olim Regis & Imperii. *Hic enim vetuſtiſſimus bene merentibus referendi gratiam mos, ut tales Numinibus adſcribantur:* Plin. l. 2. c. 7. Ægypti ſapientes τὰ εὔχρηστα τῶν ζώων θεοὺς ἐδόξασαν, Laert. multò magis reges & viros principes, κοινοὺς ἁπάντων μὲν σωτῆρας καὶ φύλακας: benefactores verò privatos ii qui beneficium acceperant, Strabo l. XVII. Rhodiorum judicio & gratitudine Ptolemæo Lagidæ, ſociorum maximo & liberatori, adpellatio Σωτῆρος impoſita fuit, Pauſ. in Att. f. 7. & Athen. l. IV. è Charetis Mitylen. 3. hiſt. eique mortuo divini honores, dedicato eidem intra urbem luco & porticu, decreti.

EPI-

EPISTOLA XX.

SAlve plurimum, Cl. VORSTI. Diutule Dialogus elegantiſſimus de Proportione, quem à Cl. Meibomio mittere Te ſcribebas, hæſit in manibus aliorum; Nam & Dresdæ peregrinatum fuiſſe intelligo; Venit autem, tandem, & quidem à tanto Viro, munus auro contra carum, eoque acceptiſſimum. Debere me Tibi eo nomine plurimum fateor; Cl. Meibomio verò pro inſigni benevolentia & liberalitate nexũ me ſiſto. Sanè inſigni beneficio me adfectum agnoſco, & juxta cogitandum eſſe de redhoſtimento. Argumentum nobile de Proportionibus in memoriam mihi revocavit locum memorabilem Clementis Alex. 6. Strom. ubi τὸ μυστηριῶδες trecentorum octodecim Abrahæ vernarum, propoſitum antè quoque à B. Barnaba in Epiſtola, tradit. Sunt ibi de numerorum proportionibus digna conſideratione Viri doctiſſimi, ἐν τούτοις τετριβωνός τινὸς, καὶ ἀριστεῖα εἰληφότος. Eſt ibidem, intra dies XXXV formari τὰ ἑπτάμηνα; intra XL. τὰ ἐννεάμηνα; & hoc ita tradunt, inquit, Ἰουδαῖοι. Non potui penetrare, quid hanc rem Judæis curatio eſſet, & meritò habui ſuſpectum; vidi quoque τὸ Ἰατροὶ, quorum doctrina iſta propria eſt, non poſſe, quòd abluderet nimis ab edito, ſupponi. Cogitatu longo & vario tandem deprehendi verum eſſe τὸ χυδαῖοι. Χυδαῖοι vulgares; χυδαῖος, παμπληθὴς, Suid. Hoc nimirum voluit ὁ στρωματεὺς, vulgo, paſſim, παμπληθεὶ, per univerſam multitudinem, iſta de fœtibus ſeptem novemve menſium ferri, doceri, credi, etiam fœminarum leſchis. De Interprete Revelatoris arcanorum Hebraici Latino & Germanico, cujus è Seldeno & Seringhamo mihi indicinam feciſti, nihil, quod miror, Buxtorfius compertum habuit. Scripſerat de eo, cum cogitaret de edendo, neophytus iſte exJudæus, Julius Conr. Otto, ad Caſaubonum anno 1605 Scipio Gentilis Altorfio, ubi tum morabatu; repiſtolam Caſauboni in editione nuperrima, nomini meo inſcripta à Joh. Georg. Grævio (cui Cl. Gronovius eam 82. epiſtolis auctam, delegaverat) leges num. 376. itemque alteram num. 436. & 484. Τὸ προσέθετο πέμψαι modò ſine, modò cum articulo genitivi, παμψηφεὶ eſt Hebraiſmus: Gen. 4, 2. καὶ προσέθετο τεκεῖν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Num. 22, 15. καὶ προσέθετο ἔτι Βαλὰκ ἀποστεῖλαι ἄρχοντας. Act. 12, 3. προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον.

Gen.

Gen. 28,27. καὶ οὐ προσέθετο ἔτι τοῦ γνῶναι αὐτήν. Jud. 2,21. οὐ προσθήσω τοῦ ἐγεῖραι ἄνδρα. Sic c. 10,13. 2. Par. 25,23. καὶ προσέθηκε τοῦ ἀποστῆναι ἀπὸ Κυρίου. Sic Eſ. 23,21. Quod autem putas in Baſilio reperiſſe eandem loquendi formulam, fruſtra es. In ejus verbis, Ἀγγαρευόμενος προστίθει διὰ τὸν Κύριον, τὸ προστίθει eſt aſtipulare, aſſentire, conſenti, τῷ ἀγγαρεύοντι. Προστεθέντος, συνευδοκήσαντος, Suid. Imò ſi vel maximè eadem iſta Baſiliana cum τῇ τῶν ό eſſet, non liceret tamen inde verè Græcam phraſin eſſe concludere. Quidni enim potuerit Scriptor eccleſiaſticus phraſi ſacra Ἑβραϊζούσῃ in Græco ſacro ſcripto uti? Cum phraſi προβεβηκὼς τῷ χρόνῳ pro homine provectæ ætatis, planè eadem eſt iſta Dionyſii Halic. qui l. 6. dixit, προβεβηκότας ταῖς ἡλικίαις: & iſta Suidæ in Ἀντίοχος, προβαίνων κατὰ τὴν ἡλικίαν. Τὸ *veniſſe in* vel *ad dies* Hebræorum, LXX. variè reddidere: modò προβ. ἐν ταῖς ἡμέραις, modò προβ. ταῖς ἡμέραις, modò προβ. τῶν ἡμερῶν, modò προβ. τὴν ἡλικίαν. Προβαίνουσαν etiam ſimpliciter adpellant Juditham c. 16,21. cum ætate provecta eſſet. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Gerdeſio ecquid factum eſt? Vivitne, valetque? Ad Profeſſores Regios, Bartholinum & Langium, paro Commentariolum in Inſcriptionem Patavinam de Q. MAGURIO Feroce; quam ille primus in Germaniam intulit & propoſuit Hafniæ; cui, ſi ita porrò viſum fuerit, addam Alexianam de DEO MORITASGO, & alias elegantiores. Optimè vale, mi optime VORSTI, & ama

Altenb. XXVIII. Jan. anno CIↃ.IↃC.LVI. *amantiſſimum Tui REINESIUM.*

EPISTOLA XXI.

S. P.

CLariſſime VORSTI, Ex literis quas plures ad me dediſſe ſcribis, eæ tantùm redditæ mihi ſunt, quæ id nunciant. Quare ſecius nihil cogitabis de me, cujus animum facilem Tibi, benignum, & ad omnia promtum, penitus perſpexiſti, & tot experimentis habes

habes cognitum. Eo animo fore inter nos, quo ſemper fuimus, de me præſtare poſſum, de Te ſperare. Non ſoleo excuſatione ſcribendi officium explere, quod adſiduitate literarum metiri conſuevimus. Eſſet tamen illa mihi præ manu, quòd ignorem cui meas ad Te perferendas tradam. Utor igitur & nunc fore, curſorique Hamburgenſi, quod alia via non occurreret, haſce impono. Significo autem Tibi, editionem meorum ſubinde morari Typographos fruſtratores: hodie Jenenſium quidam mecum fuit, cum quo de excudendis Epiſtolis amœbæis Profeſſorum Noricorum Hofmanni Rupertique & meis conventum eſt: eventus ἐν τῷ μέλλοντι ἀφανεῖ κεῖται. Commentarium ad Inſcriptiones, & Variarum reſiduos libros quotidie expolio. Supplementum Hiſtoricorum Græc. Voſſii in Belgio ut edatur, curaturus eſt Ampl. Gronovius. De Jonſenio ituro Jenam quod ſcribis, δύσκερτόν γε ἐμοὶ τοῦτο; ſuáne ſponte, & quo fine? an ſpe Profesſionis (quanquam vacuum locum nullum ſciam) illectus? Modica ibi docentium, noſti, ſtipendia ſunt, etiam malignè ſolvuntur! quibus querelis quotidie aures meas obtundunt ii quibus perſuaſum eſt me apud ſuperiores aliquid poſſe, cum pæne, in hoc puta negotio, ſim Ἄδραστός τις. In Epiſtolis quas dixi habebit Jonſenius, quam promiſi Variarum lib. 1. p. 87, quamque me flagitabat aliquando, interpretationem ſaxi Albani in Tranſſylvania, 6. p. VI. apud Gruterum: quod maximus Scaliger ad Euſebium n. MMCCXXXII. ſe non intelligere queritur. JULIA AUG. Mater Aug. ibi laudata, eſt mater Elagabali Aug. Soæmis vel Symia Sira. Ea JULIA Soæmias vocatur in nummo Elagabali. Sororem habuit Juliam Mammæam Alexandri Sev. matrem. Oſtendere enim poſſum ex hiſtoria, præter Juliam Domnam ex Apaméa Syriæ, Sept. Severi Aug. conjugem, quatuor alias eodem prædicato Auguſtarum JULIAS: quam συγκυρίαν non videre potuiſſe oculatiſſimum Scaligerum meritò miramur. De motibus Danicis rumor apud nos varius eſt, ſed ſine autore. Cauſas quoque ignoramus. Deus Sabaoth componat iſtos, ne qua & nos corripiant: in quo metu mecum ſunt Viri prudentes multi, qui ſeminum belli rationem, & ſtatus ſtudii hoc tempore, intelligunt. Tu, mi VORSTI, fac, quod facis, ut me ames, teque amari à me ſcias. Vale. Scr. Altenb. XXII. Apr. anno 1657.

Addictiſſimus TIBI

REINESIUS, D.

EPISTOLA XXII.

SAlve autem, Clariſſime VORSTI. Quas XXIV. Auguſt. dederas, Johannes quidam Boſſekenius Lipſia ad me curavit XXVI. Octobris: ab eodem accipis reſponſum hoc, quod tantopere flagitas. Super Joſepho ita neglectim habito à Doctis queruntur alii quoque. Certè tam Græca quam Latina laborant paſſim etiam poſt elotas à diverſis mendas plurimas. Bonaventuræ Corn. Bertrami Notas, P. Cunæi Commentarios, & Sam. Petiti animadverſiones in eundem, fruſtra expectamus; ſaltem haberemus doctorum Virorum Notas, & varias lectiones ejus qui manuſcripta excuſſit ſtudio collectas, quas peculiari volumine ſe daturum promiſit præfatione ad Fridericum V. Electorem Palatinum Editor Joſephi Græco Latini anno 1611. Aureliæ Allobrogum Petrus Roverianus Typographus; an præſtiterit, ignoro. Editus eſt Fl. Joſephus integer Genevæ anno 1638. Fortaſſis ei editioni juncta ſunt quæ promiſit Iſte; inquire, ſi putas tanti. De verſione Latina vetere librorum Ἀρχαιολογίας, quam vulgo Ruffino tribuunt, editam Venetiis anno 1499. & 1510. Coloniæ quoque ánno 1524. noveris, eam fortasſis non eſſe Ruffini. Hieronymus ſe libros Ἀρχαιολογίας ob prolixitatem operis vertere non potuiſſe ſcribit. Verſio verò Ἁλώσεως ab aliis Hieronymo, ab aliis Ambroſio, ab aliis Ruffino tribuitur, teſte Casſiodoro lib. de div. lect. c. 7. qui idem ab amicis in Latinum converti fecerat in libris XXII: nimirum libros Ἀρχαιολ. viginti, & quos habemus περὶ ἀρχαιότητος τῶν Ἰουδαίων κατ᾽ Ἀπίωνος duos. In verbis Chæreæ lib. XIX. c. 1. ſocios conjurationis rem, cædem Cal, maturare hortantis, vocabulo τοῖς ἄλλοις rite reſpondebit vocula ἑαυτοὺς; eademque facilè exit è vulgato τῆς αὖθις: nimirum & quid aliis commodi, & quid ſibi ípſis allaturum ſit facinus decretum, commemorat; Eos aliis felicitatem, liberatis à tyrannide, ſic paraturos eſſe; ſe verò ipſos, velut tanti boni auctores, per omnem vitam (δι᾽ αἰῶνος τοῦ ἅπαντος) in admiratione magna & gloria conſtituturos. Circa ſignificatum vocabuli αἰῶνος falleris; iſte verus eſt. Etiam Sophocles αἰῶνα βροτῶν poſuit ἀντὶ τοῦ βίον ἢ βίοτον. Ita res ſatis, puto, claret. Interpres Italicus M. Petrus Laurus Modonenſis, cujus verſio edita eſt Venetiis anno 1619, quem conſului, Latinum hic ſecutus eſt, & nihil me adjuvit. Sen-

ſum

ſum nimirum ſcriptoris reddidit, neglectis quæ non intelligeret, verbis Græcis corruptis. In proximè ſequente ῥήσει abundat negativa οὐ; eoq; ejicienda eſt, uti rectè factum à Latino; ſi ſenſum velis eſſe integrum. Non poterant οἱ συνωμόται rei ſeu negotio, quod agitabat Chæreas, tanquam planè, prorſus, honeſto, laudabili & bono, contradicere; neque tamen palam (ἄντικρυς) rem adprobabant, ſuſcipiebant ſeu adgrediebantur; ſed obſtupefacti ſilebant hærebantque, ut in arduis & ob periculum quod ducunt formidabilibus ſolent homines. Locum Hieronymi procem. Dial. adv. Pelag. luxatum rectè reſtituiſti trajectione ejus quod perperam Manichæis adſcribebatur; pertinebat autem ad Pelagianos. Duo membra ſunt in accuſatione delirii Manichæorum: & duo igitur etiam de quibus reprehenduntur Pelagiani. Tot Infinitivi *damnare*, *auferre*, *tollere*, *dicere*; tum repetitio copulativæ *Et*, librarium, ut aberraret, impellere facilè potuit. Ejus Diſſertationis tuæ tres ſolùm quaterniones miſiſti; fac habeam etiam reliquos. Jonſenius Francofurto mihi ſignificavit, ſe Notitiam Epiſcopatuum Galliæ Pap. Maſſoni (edita ea eſt Pariſiis anno 1610, paucarum pagellarum libellus) iteratò vulgare velle; reſpondi Galli hominis potiùs partes has eſſe, nec intelligere me, cui bono; indicavi etiam ejuſdem argumenti ab aliis tradita uberiùs, & quid in editione Pariſienſi deſiderari pasſim poſſit. Quærebat etiam ex me haut ita pridem περὶ στίχων, quorum numerum Epiſtolis Paulinis in quibuſdam Novi Fœderis editionibus ſub finem adſcriptum videat. Patriæ veſtræ caſum deploramus meritò: etiam iſtis provinciis florentiſſimis vaſtitatem imminere παρὰ τοῦ κακολάωνος! Deus compeſcat iſtum quamprimum, optamus: Vobis autem in iſtis anguſtiis ἔχοντας ἑαυτοὺς συνεπιδιδόναι τῷ θεηλάτῳ καὶ συναναπαύεσθαι τούτῳ. Bene vale, mi VORSTI, & ſalve iterum

à REINESIO, D. Altenb.

Kal. Nov. 1657.

EPISTOLA XXIII.

S. P.

SAnè quàm gaviſus ſum, cùm ex intervallo temporis tanto allatæ mihi ſunt tuæ; Tuæ, de cujus incolumitate, & num ſatis ſalvus cladem

 &ca-

& calamitatem regionum iſtarum conſpexeris, quippe non ignari ejuſmodi ἀπὸ κακολάωνος Ἄρεος malorum, dubitabamus. Nunc omni iſta de Te ſollicitudine defunctus revixiſſe videor, atque ſummo Numini & ſoſpitatori ἀλεξικάκῳ nomine tuo debere Σωτήρια. Ebraiſmos tuos in precio eſſe apud intelligentes, Jenâ nunciatur mihi. Ipſos videre nondum contigit; etſi eorum cupidiſſimo; quare ne refrigeſcat ardor in hoc ſenio mihi, quamprimum caveris. Περὶ συνδέσμου Εἰ agnoſco Te ῥέμβεσθαι ἐν σκότῳ. habebis, puto, ubi conſiſtas, ſi me audire volueris. Ea particula inter ἀπορηματικὰς ſeu dubitativas, ab antiqua, media, & recentiore Græcia habita fuit. Varinus Camers de ea: Ὅτε δὲ κεῖται ἁπλῶς ἐν ἐνδοιασμῷ λαμβάνεται ἀντὶ τοῦ ἐαὶ μὴ (non intelligo, & malim igitur legere Μῶν, id eſt, Num) ὑποτάσσων. ὡς τὸ, Εἰ Περσεφόνην Πλούτων περὶ Δήμητρος ἥρπασε, τίς τοῦτο οἶδε; καὶ, Εἰ ζεὺς χρυσὸν ὗσε τοῖς Ροδίοις, ὡς οἱ παλαιοὶ φασι, τίς τοῦτο οἶδεν; ἄδηλον γάρ ἐστιν. Hoc ſignificatu eſt apud Strabonem lib. 13. in hiſce: Πυνθανόμενην (loquitur de Heſtiæa Alexandrina) εἰ περὶ τὴν νῦν πόλιν (Ἴλιον) πόλεμος συνέστη. M. Antoninus Imp. l. 3. §. 1. περὶ τοῦ αὐτοῦ, εἰ ἤδη ἐξακτέον αὐτὸν (id eſt, de hoc ipſo, an mors conſciſcenda ſit) ἐφιστάνειν. Plura ſuppeditabunt Lexici. Uſi ſunt hoc ſenſu & in ſubjectione οἱ ό: Gen. 44. 16. Ex. 2. 12. itemque N. T. ſcriptores, Marcus 11. 13. Lucas Act. 27. 12. Eam Latini per *An* expreſſere: eſt & ubi per *Si*. Ita Cicero 2. de Orat. *Vide Scaure. mortuus rapitur: ſi potes eſſe poſſeſſor.* Terentius, *Viſam, ſi domi eſt.* Fauſtus Rejenſis de ratione fidei: *Videamus, ſi in operibus ejus* (loquitur de Spiritu S.) *nihil divinitatis adpareat.* Gariop. l. de febr. c. 9. *Neſcis ſi ſanes, an potiùs occidas.* Vetus Interpres Jobi 38. 20. *Si duces me in fines earum; quòd ſi & noſti ſemitas earum?* Pro *an duxeris*, vel *ducere me poteris ad terminos earum? an verò & noſti ſemitas earum?* ubi in Græco eſt, εἰ ἀγάγοις; εἰ ἐπίστασαι; Nimirum hoc loco eſt ἐρωτηματικὴ ſeu interrogativa, uti Matth. 12. 10. Luc. 14. 3. Act. 1. 6. Etiam, ut putat Heinſius, Marc. 9. 23. Ἐπ' ἐρωτήσεως, æquipollentem τῷ μῶν *num*, uſurpavit eandem Plutarchus 1. de plac. Phil. c. 5. εἰ ἓν τὸ πᾶν: 2. c. 4. εἰ ἄφθαρτος ὁ κόσμος. Sextus Emp. adv. diſciplinas, Εἰ ἔστι κριτήριον τῆς ἀλη-

θείας.

θείας. εἰ ἔστι μάθημα. εἰ ἔστι τέχνη περὶ ἑλληνισμοῦ. εἰ εἰσὶ θεοί. εἰ διδακτή ἐστιν ἡ περὶ τοῦ βίου τέχνη. Stobæus in Ecl. Phyſ. c. 25. περὶ κόσμου, καὶ εἰ ἔμψυχος καὶ προνοίᾳ διοικούμενος. Plutarchus iterum l. 4. c. 3. 20. l. 5. c. 5. & 15. εἰ τὸ ἔμβρυον ζῶον. quo argumento etiam inter notha Galeni libellus eſt, εἰ ζῶον τὸ κατὰ γαστρός. Theod. Metochita capp. Philos. 73. & 65. Εἰ γαμητέον, εἰ μὴ τοῖς &c. Habes nubem teſtium qui deponant, εἰ ſive dubitativa, ſive interrogativa capiatùr; Græciſmo dici. Mea quę è catalogo Francofurtenſi innotuere tibi, ante biennium (hanc enim fidem dederat Scheibius Lipſienſis; ſed ea mutavit in verba) abſolvi debuere: & hodie vix triginta quaterniones procuſi ſunt; adhæc de complemento ψυφρὰ μὲν ἐλπίς. Ea typographorum moroſitas, ut edendorum, quæ adfecta habeo, aliorum omnium curam abjecerim, effecit. Bene vale, mi VORSTI. Scr. Altenb. 20. Nov. anno 1659.

Tui ſtudioſiſſimus

REINESIUS.

EPISTOLA XXIV.

S. P.

VIr clarisſime, idemque amicisſime, Holſatiam, in qua ſatis favere fortunam Tibi, ductamque uxorem, & natos liberos, & cætera, quæ cara habere ſolemus mortales, obveniſſe noveram, Te reliquiſſe, inopinatum id mihi. Sed cùm meipſum intueor, cui poſt XXXIII. annorum ſervitutem libertati ſe vindicare, & mutare Dominum, etiam indulgentem benignumque, placuit tandem, admirari deſino. Poſſunt nimirum multa contingere, quæ quemvis, niſi prorſus ἀπαθῆ καὶ ἀναίσθητον, à caritatibus quoque ſuis avellant, & inducant, ut malit externorum mores periclitari, quam ſuorum incommodos infidoſque diutius cum ægritudine animi tolerare. Talis Ego ſum, quem loco ſuo, μεταστάντα μὲν, οὐ μετασταθέντα, exegerunt, & huc detruſerunt, ἀβελτηρίᾳ & intemperiæ quorundam, qui tamen tantùm non animas ſuas debebant mihi. Te, uti intelligo, aliud, ut loco cederes, impulit;

 pulit;

pulit: in quo conſilium tuum, μὴ ἑτεροζυγεῖν, improbare neque volo neque poſſum. Precor potiùs divinum Numen, ut eam conditionis mutationem felicem vobis & juventuti ſcholaſticæ ſalutarem evenire largiatur. De argumento quod accuratiùs pertractare voluiſti, prorſus tecum ſentio; & vidi jam olim, in iis quęſtionibus circa fidem, quæ fundamentum ſalutis, ſive adfirmentur, ſive negentur, non evertunt, diſſenſum debere eſſe liberum; requirere etiam caritatem, ut mutuum ſe tolerent partes, & ab odiis, inſectatione, infamatione & anathematiſmis abſtineant; tolerationem quidem non debere eſſe ſine redargutione, ſed tamen abſque rejectione: non licere per legem veritatis, non attenta ſinceritate mentis, indulgere oratoriis conſequentiis ad conciliandam parti errare viſæ infamiam &c. hujuſque rei ad Paræum Hanoviam anno 1643. occaſione libelli mihi miſſi, quem Theologiam ſymbolicam pro catechumenis inſcripſit, quemque poſtea Himmelius Jenenſis publicè lacerandum ſibi ſumſit, nonnulla perſcripſi. Doctrina primitivæ Eccleſiæ de S. Cæna è Conſenſu Orthodoxo, è Mornæi de S. Euchariſtia opere, è P. Steinii de Fratern. Evang. Germanicè ſcripto Commentario, ſatis nota eſſe poteſt cuivis, qui Patres ipſos evolvere nolit, vel nequeat; Auguſtini verò ſententiam è Comm. in Pſ. 98, cujus ipſe quoque mentionem ad me facis, ipſo Juris Canonici corpore de Conſecrat. diſtinct. 2. Can. 44. reperire eſt; ut mirari nunquam deſinam, à tam illuſtri conſenſu veterum ob unius Cardinalis ſequiore ſeculo autoritatem diſceſſum fuiſſe à Noſtris, & tanta vehementia propugnatum dogma recentius, ut in id quod videmus heu! deciderimus: & quod imprimis deplorandum eſt, neglectô omni moderamine caritatis, omnē etiam pacificationis & reconciliationis modum abhorreamus. Utiliſſimam igitur eſſe operam tuam, quam pro Antiquitate in hoc negotio poſuiſti, judico. Et ut ea, quorum guſtus non ingratus fuit, penitius percipiam, facere pro amicitia noſtra non dedignaberis. A me quidem curabitur ſedulò, ut de adfectu adverſus Te meo nihildum periiſſe intelligere queas. Qua de re etiam libellum, quem petiiſti, fide depoſiti, & in uſuram ſex ſeptimanarum, mitto; quæque eidem addidi ἐκτερώματα ut boni conſulere velis, rogo. Bertrami liber, de quo quæris, excuſus eſt Coloniæ anno 1532. & Baſileæ apud Henric. Petri in Micropresbytico. Damnatus fuit in Synodo Vercellenſi; ſi Balæo fides habenda eſt: quod

quod miror fugiſſe Rivetum, qui à nemine hæreſeos arceſſitum, convictum, & damnatum tradit 4. Crit. ſacri c. 12. Poſſevino autem quid facias, qui libellum de corpore & ſangvine Domini pſeudepigraphum eſſe & ab Oecolampadio ſcriptum, adfictum Bertramo, contendit? an latere potuit naſutum Jeſuitam hiſtoria ſeculi noni circa Bertramum & Johannem Erigenam Scotum ὁμοδόξους. Negotium Tibi faceſſere Boſium, doleo: nec tamen pervideo, quomodo hoc drama ſucceſſerit, & qui bibliopola noſtras intervenerit. Sanè poteras, ſi tale quid metueres, alibi imprimendum curare: vel tamen debebat Boſius ſe aut Tibi, aut ei, qui αὐτόγραφον tuum Jenæ depoſuerat, explicare. Fortaſſis proximus eſt litis exitus, & ſolutio hujus fribuſculi Tibi. Benè vale, Vir Clarisſime. Sit Tibi βίος εὐπαθὴς, καὶ καταθύμιος λογισμῶν συντέλεια. Scr. Lipſiæ 22. Apr. anno 1662.

P. S. Cl. Dn. Ravio vicem reddo peramicæ ſalutationis.

Amicus Nomini tuo, honoribus & commodis
REINESIUS, D.

EPISTOLA XXV.

S. P.

RECepiſſe me tam librum Tibi, VIR Cl. commodatum, quam duos iſtos tui κόμματος, ſignifico; eoque nomine gratias adnumero: mitto quoque ἀποχὴν, futuram apud me otioſam, Hamburgenſis tui. De numis, quos vidiſſe nuper ais, hoc: ſimplex fuerit quiſquis eos pro genuinis habuerit. Infinita γρύτη talium hodie circumfertur tanquam recens repertorum; ex Ægypto quoque uſque adulterinorum: occurrunt tamen ſubinde nonnulli & genuini & memorabiles. Aureum ſemuncialem cum epigraphe GALLIENA AUG. in averſa parte effigie Gallieni inſignitum, eſſe inter mobilia civis cujuſdam Jenenſis nuper defunctæ, hiſce diebus narrabat quidam, petebatque de eo doceri. Nec detrectabo ſententiam dicere, ſi numum ipſus inſpexero. Cum Mejero noſtratis ad S. Nicol. Eccleſiæ Diacono, qui cupidiſſimus talium eſt, collegitque inſignem nomiſmatum rariorum, Romanorum, Græcorum, Barbarorum, omnis generis copiam jamdum, & undiqua-

quaque conquirit plura, ſuavisſima mihi de ejuſmodi Φιλολόγησις. Crocovium ſemel ad me ſcribere memini; eique, ni fallor, reſpondi: ſed quod paulo poſt hinc abiret, propiùs noſſe non datum mihi fuit. eſt tamen cum ejus quondam ephoro D. Lindnero hodieque multus uſus mihi. Tantum hac vice potui. Bene vale, Vir Cl. & ſalve

à REINESIO, Lipſ. Cal. Aug. anno 1662.

EPISTOLA XXVI.

CL. V. D. JOH. VORSTIO REINESIUS S. P. D.

SUſpenſis animis & auribus hiaſcentibus expectamus hic, quò illa apud Vos Nova evaſura tandem, & quomodo τοῖς τῆς ἐναντίας βαθέσι veſtras κυρίας δόξας perſuaſuri ſitis. Eccleſiaſticam in dulciſſima patria noſtra pacem quis non expeteret? Ei cum Vos præ reliquis ſtudere viderim (in manibus enim ſunt ἀμοιβαῖα ſcripta Theologorum Palatinorum & Wirtenbergicorum, item Berlinenſium & Wittebergenſium: adhæc Paræi, Crociorum fratrum, Grotiique & Riveti, hunc in finem præcipuè elaborati Commentarii) hactenus prorſus Vobiſcum ſentio; de dogmatum ȣ πάνυ ὑγιαινόντων nonnullis ἐποχὴν mihi ſumo potiùs, & ſecus tamen docentibus ἀνοχὴν accommodandam eſſe judico. Sapientiam enim τὴν ἄνωθεν illā εἰρηνικὴν, ἐπιεικῆ ἢ εὐπειθῆ (amo): τὴν κάτω illā ἐριστικὴν abominor. Neutram igitur partem ſimpliciter probem; ſequar hanc in illo, in iſto illam; eoque moleſtè fero, quòd de ſuffragio meo Helmſtadium perſcripſiſſe diceris. Certè μὴ πείνει τȣ̃το μυχȣ̃ς πόλεως. Cl. Suiceri conatus laudandus eſt; fiet enim hoc modo Heſychius familiarior juventuti, cujus exemplaria admodum rara ſunt. Inter teſtimonia non omittenda erat criſis de eo ſevera, juſta tamen, Scaligeri Exerc. 131. S. 1. & 4. Eruditionem quam ei pasſim tribuunt, potiùs iis ſcriptoribus, quos excerpſit (eſt enim ſolùm συῤῥαπτάδης) tribuerem: cum enim nihil pæne ejus ſit, quomodo eruditum ἐξαιρέτως fuiſſe colligam? Immenſi laboris erit ſingula ad ſuos fontes revocare; quod ſi fecerit νέ☉ ȣ̃τ☉ Ἡρακλῆς, non infra veterem illum nobis celebrabitur. Memini ante hos quadraginta

ginta annos Gloſſarum, quarum meminit, & ſcriptorum, quos allegat, catalogum conficere perinde ac in Suida: ſed cum videam Pricæum eandem operam occupaſſe (edidit enim cum Appuleji Metamorphoſi) de publicatione non ultrà cogito. Ornatiùs etiam prodibit hoc opus, puto, ſi Latinam interpretationem, qualem Portus Suidæ, ſimul dederit. In pagellis duabus, quas inſpiciendas miſiſti, nonnulla ſunt, quæ ut corrigantur, famæ Editoris intereſt. *Λιάσαι* eſt *χωρῆσαι*, i. e. ſecedere, loco abire: idemque patet è ſynonymo *ἐκκλῖναι* ſignificatione neutra. Nihil igitur hic mutandum. Paſſivum autem *λιάζεσθαι* eſt *χωρίζεσθαι* ſeparari, ut patet è ſeqq. In *λιβάδα τὸ θεράπειαν* non eſt exponendum is cultus quem *λείβοντες* præſtant; ecquis enim ille cultus *λειβόντων*? Uno verbo *θεράπεια* hoc loco medicatio eſt, vel ea medicationis ſpecies, qua partes adfectæ aqua vel ſimplice vel medicata perfunduntur, irrigantur, irrorantur, foventur. Græci Medici vocant *καταιόνησιν*, *κατάντλησιν*, *ἐμβροχὴν*, Latino-Barbari embrocationem, ſuperfuſionem. hæc eſt *ἐπίῤῥανσις* (*εἰ κεῖται*) *ῥαντισμὸς*, inſtillatio, aſperſus. Cœlius Aurel. lib. 1. tard. 4. & 3. c. 4. aquarum illiſionem, qua patientes partes mutari cogantur, quod cataclyſmon Græci adpellant; Vetus Interpres epiſtolæ Ignatii ad Polycarpum impluvium. Hæc ſatis rectè ſic habent & Heſychium prorſus illuſtrant; ſed cum *λιβὰς* hac ſignificatione, ut actionem ſparſionis, perfuſionis, inſtillationis, quæ *θεράπεια* eſt & *λίβασις* aut *ςάξις*, importet, non reperiatur (certè nondum repertum eſt: ſtillam, guttam, laticem, ſcaturiginem, fontem denotat) proximum eſt & commodum legere *θεράπαιναν*, & interpretari ancillam, famulam. Sanè Libas appellatio famulæ apud Ovidium eſt; producuntur ab eo in uno Diſticho Pitho, Clide, Libas. In lapide Romano apud S. Sylveſtrum nominatur ERASENA LIBAS nutrix: & in alio Romano 2. p. DC LXI. apud Gruterum LIBADI LIBertæ Salvia Tertulla. Libas, ut Pſecas apud Juvenalem Sat. 6. & Stacte in ſaxis: item Rhanis: à miniſterio, quod Dominabus in balneis irroratu, inſtillatu, perfuſu tales exhibebant. Ad hoc reſpexiſſe Heſychius videri poſſit. *Λίβυσσα ἀηδών*. Nihil hic *αἰνιγματῶδες* eſt, ſi veram lectionem conſtituerit. Lego *Λ. Ἀηδὼν*, & ex-

H pono.

pono Libyca Aedon, h. e. Africana fœmina liberorum mactatrix: Ab Aedone Zethi vel Zetæ, Boreæ F. Regis Thebanorum conjuge, Pandarei Dulichii filia, quæ Actylum filium jugulavit: Ita Helladius in Chreſtom. apud Photium. Scholiaſtæ rem eandem è Didymo Gramm. referunt ῥήσει prolixa, quam omitto exſcribere. Ἀηδὼν pro τεκνοφόρῳ ſeu παιδοκτόνῳ metonymicè, ut Circe, Medea, pro venefica. Παράλληλος huic fabulæ eſt illa de Progne Terei conjuge, & ſorore ejus Philomela: Hygin. fab. 45. Strabo lib. 9. Ovid. l. 3. Metam. Papin. l. 5. Thebaid. Vides igitur Ἄδωνιν non eſſe ab ἀγχινόιᾳ H. ſed à laſcivia ingenii nimium ſibi fidentis. Præterea Adonis Cypriorum, Syrorum & Ægyptiorum fuit; nunquam Afrorum, Pœnorumve: & ad horum igitur res non debuit adhiberi. In Λιγαίνει impertinens eſt τὸ ἐφορμᾷ. Lego ἐπιβοᾷ: requirit hoc adverbium ὀξέως. Λιγδαρροχύται prorſus vitioſum eſt, & non ſuccurrit tamen nunc qui reſtituam; niſi legere concedatur Λιγδοσαρκοχύται: requirit verò hoc exegeſis οἱ ἐν ταῖς λίγδαις σάρκας χέοντες; ſic enim lego. An latet hic aliquid de Anaxarcho Philoſopho ἐν ὅλμῳ, θυείᾳ, ἀκόνῃ, χοάνῃ, λίγδᾳ ſeu ἴγδᾳ (ſunt enim hæc ſynonyma) κοπτομένῳ ἢ πτισθέντι? In Λιγδοι, οἱ προσπετρ. mendum eſt, & quidem ab eruditione Heſychii, qui non vidit eſſe id ſphalma librarii. Solennis hic error eſt Heſychio: exhibet quod reperit, ſine diſpectu. Legendum autem Λίσποι: ſic enim rectè infra; ab eo eſt ὑπόλισπος, & ab hoc Latinum ſubleſtus. Βάλλων idem eſſe quod λείβων, ut habent editiones Heſychii, ſine probati auctoris teſtimonio erubeſcam dicere; legam λείβων, στάζων, βαλανεύων. Balneatorum enim ſervorum id eſt, aquas ſpargere, ſuperfundere lavantibus: qui & ab hoc miniſterio παραχύται. Βάλλων autem eſt ab abbreviandi Græca ratione conſueta veteribus librariis, ut ἀνοι ἄνθρωποι, σρίαν σωτηρίαν, πρίδα πατρίδα. Siquis hoc nolit, legat λείβων, στάζων, βλύων. Nam & Suidas λείβει, στάζει, βλύει. Hæc ſunt quæ in gratiam Cl. Suiceri monere nunc volui: ea ut legat cum venia, meo ipſum nomine rogabis. DOMINUS JESUS Te ſervet, mi VORSTI, & cogitatus laboreſque tuos ad Nominis ſui gloriam dirigat. Scr. Lipſ. 14. Jan. anno 1663. quem Tibi felicem decurrere opto.

EPI-

EPISTOLA XXVII.

S. P.

EXcellentiſſime VORSTI, Tardius, quàm fortaſſis volebas, ad Te redeo; poſt quartum nimirum menſem. Scilicet non erat argumentum tuarum tale, quod deproperare reſponſum flagitaret. Querebaris de intemperie quorundam, qui facto quaſi cœtu & totis caſtris te invadant & oppugnent. Sanè doleo moleſtias Tibi creari, quem ſine invidia frui ſuis bonis & tranquillum vivere malim; hoc verò obtinebis, puto, ſi, quos ἐυθυῤῥημοσύνη καὶ ἐλευθεροστομία irritaſti, feras, & dum æſtus animorum detumeſcat, expectes: quò proceſſeris longiùs, eò plus Teipſum læſeris. Chemniciana & Reimeriana adverſus Te emiſſa neque vidi, neque videre deſidero; abhorreo enim πλήκτας ejus generis. Orationis auſpicalis, quam inter Philoſophos hujus Academiæ Profeſſor novitius habebat, auſcultator fui, libenterque intellexi honorificam mentionem ſubinde fieri Tui ab eo, quem è programmate hoſtili erga Te animo eſſe præceperam. Quàm bene & quàm aptè dixerit pro Gerhardo, ipſe judicabis. Heſychius Hollandicus, ſi talis erit, qualem depingunt nobis, obfuſcabit Helvetium; facilè conjeceris hoc è duabus iſtis quas ad nos miſerat Suicerus αὐτὶ γευμάτιον pagellis: ſunt enim in iis emendationes doctorum aliorum nullæ, extantes autem ævidentiæ plures; & quot in toto opere, prolixo illo & peſſimè habito ab Editoribus, ſic quidem præſumi poterunt? Mea verò quæ ad eum curaveras, quamvis deproperata annotamenta, non ſatis fideliter, & ut lectori ſatisfieri inde poſſet, expreſſa ſunt; unde ut quicquam præterea conferam, vix adduci me patiar. Hæc volui, neſcius ne eſſes, mi cariſſime VORSTI. De Inſcriptionum ſyntagmate certi nihil; niſi quod confectum divina ope habeam, cum ipſo adeò Eponymologico; tricatur enim Götzius Francofurtenſis, & ſpero tamen exitum. Optimè vale & ſalve

Lipſ. 4. Maj. anno 1664. *à deditiſſimo Tibi*

REINESIO, D.

EPISTOLA XXVIII.

S. P.

CL. VORSTI, Acceptiſſimas verò animo meo tuas! quippe quæ non tantùm memoriam mei religioſè ſervare Te, ſed & circa bonas literas, earumque cultum, ſatagere porrò, quod ſolebas antè, intimarent. Quæris Inſcriptionum opere quid fiat? Fateor flagellari poſſe τὸ ὑπερήμερον, & quod malignè me ſolvam promisſis. Verùm indignus ſum eâ accuſatione; confecta enim dudum omnia, quæ dare volui, hactenus expectant Typographum; quem puto reperiſſe præteritis nundinis, & ſingulis momentis adventorem opperior, ut auferat prelo ſubjicienda, Götzium Francofurtenſem; plura præſtare non potero; tædetque me tandem tricarum. De tuo quod augere volebas iſta, gratum id habeo; ſed cum omnia iſta tui libelli jam antè præoccuparint alii, ſintque protrita, remitto eum Tibi. De Indicibus, quos memoras, ſcio multa magnificè dici; metuo autem ne id genus operæ eò tandem evadat, quò Excerpta diffuſiorum operum; nimirum cladem ipſorum autorum patrarunt hæc, & huc nos damnarunt, ut pro Scriptoribus ipſis, quos fruſtra deſideramus, jejunas quaſdam eorum epitomas hodie legere oporteat. Certè illi ipſi quos ſuper Latinos quoſdam habemus Indices, nec perfecti ſunt, nec ita attemperati, ut ſcriptorum verbis ipſis carere Lector curioſus posſit. Res & hiſtorias fortasſis exhibent; nondum vidi qui tempora ſimul exhibeant; ob hæc ergo ſemper ad ſcriptorem ipſum recurrendum eſt. Et anne ineptum eſt prolixis Commentariis, ſine quibus tamen nulli ferè uſui ſunt, farcire Indices, qui brevitatem ipſa ſua adpellatione pollicentur? D. Mulleri circa gloſſas apud Scriptores antiquos & Lexicos Græcos reliquas ſtudium laudabile eſt; falſitatis autem illos arguere ideo, quod quæ illi aliis gentibus tribuere, hodie Perſis uſitatæ ſint, videtur inconſequens. Ecquis enim poſt tantum à prima in campis Sennaaricis confuſione chaos, vel etiam poſt harmoniam lingvarum inde natam, definire auſit, quænam cujuſque gentis propria fuerit? deſumſit una ab altera uſu, & publicâ conſuetudine potiùs, quàm conſilio ullô, & è peregrinis fecit domeſticas. Quàm multa noſtratium cum Perſicis hodiernis coincidunt, nec licet ea tamen ad Perſas aborigines referre? Συγκυρία & alliteratio quæcunque non ſufficit natalibus vocabulorum probandis. Excuſandi igitur,

tur, puto, erunt Lexici; nec ſollicitanda eorum in talibus fides, quòd, è quibus gloſſas, de quibus quæſtio incidere ſic poteſt, deſumſerint, ii Scriptores dudum perierint. Hæc mihi ita videntur; facile tamen patior abundare ſuo quemque ſenſu: eſt enim σκέμμα iſtud ὡσεὶ ἄπορον. Optimè vale, mi optime VORSTI, & ſalve

à REINESIO, Lipſ.
5. Oct. 1664.

EPISTOLA XXIX.

S. P.

CL. VORSTI, Septuaginta pæne ipſi anni exierunt, quando cum Calepino, Schoro, Ulnero, Decimatore, Copia Eraſmi frequentem me eſſe volebant magiſtri mei; ad eoſdem denuo Tu quoque quæſitis tuis Grammaticis me devocas, cogitantem nim. Τὰ ἀνώτερα, τὰ καλλίω, octogenarium ad ſerperaſtra; quod nonnihil moleſtum quidem eſt; ſed quanta Tibi de facilitate mea, quam nondum exui, fiducia ſit, & quod amoris exceſſu amicis etiam abuti, rumpendo quietem eorum, libenter ſoleas, ſignificat. De Ant. Schoro hoc ſolum; fuiſſe inter didaſcalos Scholæ Lauſannenſis, ibidem obiiſſe anno 1552. reliqua Viri Suicerus Tibi narraverit. De uſu Verbi Imperſ. *comparatum eſt* cum præpoſ. *cum* rectè dubitas. Cicero addito caſu ſexto abſolutè ſemper uſurpat; *naturâ*, *legibus comparatum eſt.* Plautus Amph. a. 2. ſc. 1. v. 3. paulò aliter; *Ita cuique comparatum eſt in ætate hominum:* quem Latinè locuturi imitemur potiùs. Suſpectæ Latinitati an accenſebis Τὸ *jacere* pro ægrotare? Certè ita loqvuntur noſtri. Atqui Plinio l. 5. ep. 9. placuit de ægrotante, *graviter jacet;* Horatio *cubantem* dicere; cujus Schol. *cubat; ægrotat, langvet, jacet.* De phraſi *Fecit annis*, *F. annos cum marito*, quam in lapidibus Romanis decem, uno Lavellano, & uno Mutinenſi, ego, & poſt Giſanium in Obſervat. L. L. Gronovius in Senec. ep. 66. reperit, quid ſentis? digna eſt quæ tuam diatriben ornet, præſertim ſi noſtrum aliquid ei conveniens vel adſonans habere in quacunque dialecto probare poſſis. De COCO Dresdenſi quid turbaris? Immanis fera ad latratum canis lenta reſpexit. Suſpicor è feroculis, quos Academiæ hodie tradere aulis ſolent, & miniſteriis Aulicorum, unum eſſe, qui tuo

nomine quærit inclareſcere: non eſt, puto, ſi te læſit, quód cum eo paria facias: non agnitum evaneſcet. Super Volumine Inſcriptionum egi cum Götzio; ſed res non confecta eſt; neque promittere mihi ſucceſſum hactenus potui: ita nimirum tricatur, in hoc intentus, ut gratis auferat tot labores meos. Quia video te carere exemplo phraſeos *ἔχε θυμὸν ἀγαθὸν*, ſuggero tibi aliquod ex Heliodori, ſcriptoris venuſtiſſimi, l. 3. Æthiop. *θάρσει καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθὸν*, i. e. *εὐθύμει*. In lapidibus ſynonymum hujus *εὐψύχει* legimus. Extremum hoc eſt, mi cariſſime Vorſti, ut te facilimè agere, commodiſſimè vivere, & valére quam optimè jubeam. Scr. Lipſiæ 10. Febr. 1665.

Studioſus honorum, commodorumque tuorum,

REINESIUS, D.

EPISTOLA XXX.

S. P.

CLar. Vorſti, idemque amiciſſime, Judicia *τῶν αὐτιΣυγκρητιστῶν* (hoc enim nomine, ſanè inepto & futili, adpellánt ſeipſos Inconciliabiles iſti) de Colloquio Caſſellano non ignoras, ſcio; vagantur enim publicè Argentinenſe, Gieſſenſe, Dantiſcanum &c. hoc quód hiſce, ut comitatiores irent, adjunxi, accenſebis iiſdem. Miſſurum verò eram ne quidem à Te interpellatus; idque cogitanti commodum advenerunt tuæ cum libello Mülleri. Miſeros verò Rintelenſes, quibus ſua moderatio, ſive qualiſcunque *συγκατάβασις* & ſtudium pacis, ita malè vertit, ut à Scholaribus de Paulino, ſuccinente pari aridorum, ſanè non è Parnaſſo, Poëtarum, lapidari mererentur! Horrebunt piæ mentes præcepti Dominici verè Regalis, de dilectione mutua *ἀδιακρίτως* exercenda, *στρεβλωσιν* & impiam reſtrictionem. Nolunt hi *ἀπάνθρωποι* niſi particulariſſimi, ut ſua ipſis reddam, dilectores eſſe: h. e. eorum tantùm, quos ſua dilectione dignos opinantur, & quando, & quantum. Quiſquis ipſis quacunque de cauſa diſplicuerit, eum caritate indignum eſſe, & bono jure, ſcil. ſuo, odio haberi poſſe ſibi perſuadent. Videt iſta DEUS & requiret. Sofos Muhammedanorum & *θεωρὸς* Platonis, quomodo comparare potuerit Mullerus veſtras, non capio: Plato cum in Epp. nominat *θεωρὸν*, intelligit adminiſtrum & curatorem

ratorem ſacrorum quaſi θεῖα ὠρεῦντα: cum θεωρεῦντας inſinuet eos, qui à Republ. præcipuè Athenienſium quotannis mittebantur in Delum, vel oraculi conſulendi, vel munerum offerendorum, cauſa; inde & navis qua vehi ſolebant, θεωρὶς, Plut. in Theſ. & ἀρχιθέωρος apud Heliod. 2. Æth. c. 9, ſacræ iſtius legationis Princeps. De theoris miſſis in Libyam à Rhodiorum Communi pro reſponſo oraculi Diod. l. 20. Scilicet θεωροὶ non conſtituebant corpus quoddam Religioſorum vel Devotorum, quale Sofi. Τὸ Ἀρτίμπασα, quod apud Herod. l. 4. c. 59. legitur, corruptum eſſe, quod Mullero videtur, haut reor. Nititur enim ea lectio conſenſu tot Editionum, nulla prorſus refragantè: conſervata quoque eſt in Origenis 6. contra Celſum, uti edidere una litera variante Ἀργεμπάσαν, & quod palmarium eſt, in duobus ſaxis agri Tuſculani apud Grut. 5. & 6. p. LX. ΘΕΑ ΑΡΤΙ::ΠΑΣΑ. item ΔΙΙ ΠΑΤΡΙΩΙ ΚΑΙ ΑΡΤΙ::ΠΑΣΑ. Adſerta igitur ſatis lectione primæva apud Herodotum, cur aliam vel fingam, vel ab alio excogitatam mihi obtrudi feram? Ἄρκτου παρούσης μὴ ζητεῖν τὰ ἴχνη. De *Aſchik* Baſſa hodiernorum Turcarum alia nos doceat Mullerus; ſanè ad antiquiſſimam illam Scytharum Artempaſam nihil pertinet. In ejus vocabulo pars prima fortaſſis eſt Perſicum nomen ſimplex, Art, Arta; quod Armenii quoque, Parthi, Syri, Cappadoces ſuum fecere: nec mirum ſi vicini Scythæ etiam; de poſteriore σκεπτέον. Editionem mearum Inſcriptionum in ſe ſuſcepit his diebus Kirchnerus, poſt nundinas admoliturus manum: de ſucceſſu audies proximè; velimque igitur, ut, ſi quas ab Ewichio acceperis, mittas quamprimum. Sed jam hic modus eſto fabularum. B. V. mi optime VORSTI, & amorem mihi tuum perſevera. Scr. Lipſ. 19. Octob. anno 1665.

Tuæ dignitatis ſtudioſiſſimus
Th. REINESIUS, D.
Conſil. Elect. Saxon.

EPISTOLA XXXI.

MI cariſſime VORSTI, Nimis Severus exactor es officii, & quidem ejus, quod ego nec agnoſco me debere. Quid enim tibi ad novellas, quarum ſolens es, ego verò incurioſus, & temporis

poris reverentior? quid, ſi uxor tua ſumſit unam drachmam radicis ſeu corticis Peruviani (arborem ipſam gannanaperidem adpellant) quam pro ſpecifico ἀντιτεταρταίῳ venditant, cum Bartholinus duas præſcribat, reſpondeam? Notæ ſunt in vulgus Chifletii & Rol. Sturmii ex Indicis navigationibus collectæ narrationes & prolixa κομπάσματα. Potuit una drachma ſumta, potuit nulla, cum febris jam eſſet in declinatione, & ægrotantem per ſe relictura, videri profuiſſe. Cum controverſiis inter vos ortis nedum finitis nihil intercedit mihi: mallem ignorare: vellem autem pacem colerent utrique, & abſtinerent denique Eccleſiam δοκησισοφίᾳ ſua & infelicibus rixis ulterius ſcindere. Sed qui incorrigibiles hactenus ſe exhibuerunt, porrò quoque tales per me ſunto: viderint quam rem agant, illi odio fratrum & amore ſui cœci non ſacri homines; profani utique cum ſupercilio Phariſaico. Dolendum inprimis de ſenſu aliquot verborum Lutheri repeti coccyſmos; ſatis nimirum diu de Scripturæ vero & ſalvifico ſenſu pugnatum, necdum inter partes conventum, eſt; etiam de ſingularis & privati Doctoris verborum ſententia quadam, quæ hominis tamen eſt & errori obnoxii, adeò paratragœdiare reſtabat, dum quiſque putat ſe reperiſſe non quod pueri in faba, & diſſentienti à ſe alteri figit anathema; horreſcendum autē rem eò procedere, ut neglecto τῷ ῥητῷ, aperto utique, in futili διανοίᾳ ſibi placeant aliqui; quam uti alia multa Novitiorum horum ὑπερουράνια pro capeſſendis axiomatibus Doctoralibus ſparſa dogmata, agniturum eſſe, ſi reviveret, Lutherum dubito. Olim reſpondebatur, Lutherum librum de S. A. retractaſſe: quod cum probare non poſſent, alia effugia quærenda fuere; interim ſemper πρῶτος ψεῦδος? πρωκτὸς λουτροῦ περιγίνεται, & cauſa mala ineptè præterea defenſa evadit in peſſimam. Miſeros nos, ſi in ſenſu cerebrino factionum Scholaſticarum ſalus animarum vertitur! Inſcriptionibus meis benignius è Gallia ſidus oritur; ad quod Deo duce dirigam curſum. Sed jam fabularum ſatis. Bene vale, mi optime Vorſti, me ama, & ſalve

à REINESIO, Lipſ. 12. Maji 1666.

EMENDANDA.

Pagina 7. lin. 19. ששך. lin. 25. Σακαῖαι

Pag. 45. lin. 34. *legi.* Pag. 53. lin. 11. ψυχρὰ

Cetera, ſi qua ſunt, præſertim in accentibus aut diſtinctionibus, errata facilè per ſe animadvertet Lector.